
De artium scriptoribus Latinis quaestiones

Felix Fritz Otto Boelte



DE
ARTIVM SCRIPTORIBVS LATINIS
QVAESTIONES

DISSERTATIO PHILOLOGA QVAM AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE IMPETRANDOS AMPLISSIMO IN VNIVERSITATE FRIDERICIA GVILELMIA RHENANA PHILOSOPHORVM ORDINI TRADITAM VNA CVM SENTENTIIS CONTROVERSIS DIE XXIII MENSIS IVLII ANNI MDCCCLXXXVI HORA X PVBLICE DEFENDET SCRIPTOR

FELIX BOELTE
MECKLENBVRGENSIS

ADVERSARII ERVNT
GEORGIVS MVELLER
IVLIVS ZIEHEN
AVGVSTVS BRINKMANN



BONNAE
TYPIS CAROLI GEORGI VNIVERS. TYPOGR.
MDCCCLXXXVI

FRANCISCO BVECHELER

HERMANNO VSENER

Omnes quaestiones quae in eo uersantur, ut e seruatis deperditas grammaticorum Latinorum artes eruant atque restituant, sic optime fiunt, ut ab amplis operibus saeculi quarti proficiscantur, qualia conposuerunt Charisius Diomedes Dositheus Anonymus Bobiensis[1]; Donati quoque artem maiorem, etsi ab illorum libris haud leuiter differat, non sine fructu adhiberi ex ipsa disputatione elucebit. Vt hi prae ceteris his quaestionibus soluendis utiles sint, ratione qua usi artes suas conscripserunt factum est. Iam dudum perspectum est eos nil nisi antiquiorum grammaticorum libros despoliasse, id quod egregia fide praestiterunt. Accedit alterum, quod persaepe modo eundem tractatum modo particulas eiusdem expositionis apud conplures grammaticos inuenimus: itaque magnam partem etiam eosdem auctores secuti sunt[2]. Vbicunque quae ex uno quae ex altero fonte grammaticus quidam hauserit quaerimus, egregium nobis auxilium est, si de eadem re alter grammaticus eundem fontem exscripsit. Sed etiam longius progredi nobis licet sic ratiocinatis. Si conplura capita eadem apud duos uel plures grammaticos deprehendimus, omnia ex eodem fonte hausta esse procliuis suspicio est. Itaque conparatis eis quae conpluribus grammaticis communia sunt libros quos ipsi in manibus habuerunt restituere possumus. Hac ratione usus quaestionem de fontibus grammaticorum illorum, quos supra nominaui, ex parte aliqua soluere conabor. Ne nimis ampla materia uiam inpediat, in eam tantum artium partem inquiram, qua de elementis artis grammaticae et de octo partibus orationis agitur omissis capi-

---

[1] „E Charisii arte grammatica excerpta“ GL. I p. 533 sq. sic apte appellari mihi uidentur, quoniam satis superque demonstratum est, ea a Charisio non pendere.

[2] Non alium ab alio mutuatum esse hodie constat.

tibus de uirtutibus et uitiis sermonis. Has partes alii[1] nuper tractauerunt, qui aliunde profecti et alia uia ingressi ad alias et diuersas atque ego opiniones peruenerunt. Cum igitur per se, si ista quoque amplecterer, nimis inpediri mihi uiderer, etiam ea re difficultas augeretur, quod cum illis frequens esset controuersia. Itaque meam sententiam in parte aliqua eorum quae apud illos grammaticos leguntur exponere malo.

Vt uiam mihi praemuniam, primum qualis sit consensus qui inter illos grammaticos obseruatur, inquiram. Hanc quaestionem aptissime in capite de nomine institui puto, a cuius accurata percensione disputatio exoriatur.

Initium capitis De nomine omnes ab eadem definitione capiunt, quamquam alius alia paululum mutauit (Charis. p. 152, 17—19; Anon. Bob. p. 533, 7—9; Dosith. p. 389, 13—390, 1; Diom. p. 320, 11—13; Don. p. 373, 2. 3). Apud Diomedem deinceps hi se loci excipiunt: 1) p. 320, 13—25 Scauri sententia, qua nomen appellationem uocabulum distinxit; 2) p. 320, 25—27 nominis ueriloquium; 3) p. 320, 27. 28 quinque accidentia; 4) p. 320, 29. 30 qualitatis diuisio; 5) p. 320, 30—321, 2 nomina propria; 6) p. 321, 3—11 quattuor species nominum propriorum; 7) p. 321, 11—322, 3 fragmentum Arruntii Claudii; 8) p. 322, 3—5 quomodo praenomina notentur; 9) p. 322, 6—10 nomina appellatiua; 10) p. 322, 10—12 nomina et propria et appellatiua. Apud Donatum hunc ordinem deprehendimus: 1) p. 373, 4 quae nomini accidant (VI); 2) p. 373, 5 distinguuntur nomen appellatio uocabulum; 3) p. 373, 6 ipsius Donati est; 4) p. 373, 7. 8 diuisio qualitatis; 5) p. 373, 8—10 propriorum nominum species quattuor; 6) p. 373, 10. 11 quomodo praenomina notentur; 7) p. 373, 11—13 nomina appellatiua. Si haec inter se conparamus, a Donato omissa esse inuenimus, quae apud Diomedem secundo, quinto, septimo, decimo loco leguntur. Ordo uero apud utrumque idem adhibetur, cui rei unum tantum est quod repugnet. Diomedes post definitionem nominis primo loco infert Scauri distinctionem, cum Donati uerba quae eodem spectant secundum locum teneant interpositis eis quae nomini accidunt. Nam ad ea quae Donati

[1] H. Kummrow symb. crit. ad gramm. Lat. Gryph. 1880. P. E. Meyer quaest. gramm. ad Scauri artem restituendam spectantes. Jen. 1885.

uerbis p. 373, 5 'nomen unius hominis, appellatio multorum, uocabulum rerum est' docentur in reliquo capite nusquam respicitur. Ergo ad eum grammaticum cui hoc caput Donatus debet illa uerba referri non possunt. Neque apud alium grammaticum nisi Scaurum haec distinctio inuenitur. Quintiliano (I, 4, 20) qui hanc doctrinam notam fuisse dicunt parum accurate agunt. Itaque quin Scaurum Donatus his uerbis respiciat, immo quin Scauri uerba, quae in fonte plenius scripta erant, in hanc formam contraxerit, dubium esse non potest. — Iam Charisium inspiciamus, qui hoc ordine usus est: 1) p. 152, 20 nomina aut propria sunt aut appellatiua; 2) p. 152, 20—153, 1 nominum propriorum species quattuor; 3) p. 153, 1—5 nomina appellatiua; 4) p. 153, 6 quae nomini accidant (V); 5) p. 153, 6. 7 diuisio qualitatis, qua intelligitur proprium sit nomen an appellatiuum. Vt reliquos quoque statim producam, Anonymus Bobiensis sic ordinat: 1) p. 533, 9—11 ueriloquium nominis; 2) p. 533, 11 nomina aut propria sunt aut appellatiua; 3) p. 533, 11—15 nomina propria; 4) p. 533, 15—21 quattuor species nominum propriorum; 5) p. 533, 21—28 nomina appellatiua; 6) p. 533, 28—31 item de appellationibus; 7) p. 533, 31—534, 1 quae nomini accidant (V); 8) p. 534, 1. 2 qualitatis diuisio. Apud Dositheum hunc ordinem habemus: 1) p. 390, 1—3 nominis ueriloquium; 2) nomina aut propria sunt aut appellatiua [1]; 3) p. 390, 3—7 nomina propria; 4) p. 390, 7—13 quattuor species propriorum nominum; 5) p. 390, 14—391, 4 nomina appellatiua; 6) p. 391, 5 quae nomini accidant (V); 7) p. 391, 5. 6 diuisio qualitatis. Postquam quae quisque praebet contulimus, quaerendum est, quae inter eos ratio intercedat. Quae apud

---

[1] Dosith. p. 390, 3 codex S. Gall., qui solus hanc particulam tradidit, praebet: 'παρὰ τὸ ὄνομα. nota tamen. TOYNOTAT̄. Nomina. τὰ ὀνόματα quae specialiter' etc. Locum corruptum esse adparet. Supplenda sunt quae Charisius et Anonymus Bobiensis scripserunt sic: παρὰ τὸ ὄνομα. nomina τὰ ὀνόματα [aut propria sunt aut appellatiua ἢ κύριά ἐστι ἢ προσηγορικά. propria sunt κύριά ἐστι nomina τὰ ὀνόματα] quae specialiter etc. Corruptela ita orta est, ut librarius ad uerba 'nomina τὰ ὀνόματα' ubi iterum legebantur aberraret et interposita omitteret. Postea demum quam haec deprauata sunt, glossema illud in contextum uerborum inrepsit, quod quid significet nescio. Fortasse olim in margine antecedenti ueriloquio additum erat.

Anonymum Bobiensem sexto loco leguntur, solus tradit. Deinde hunc et Dositheum accuratissime consentire adparet, Charisium uero quae apud illos primo et tertio loco exstant omittere; haec a Diomede secundo et quinto loco tractantur. Ceteroquin hi tres uno ordine utuntur, qui ab illo quem Diomedes et Donatus adhibent diuersus est. Diomedes enim et Donatus quae nomini accidunt praeponunt, deinde ex his qualitatem tractant; hi uero postquam de nominibus propriis et appellatiuis egerunt, tunc demum conmemorant quae nomini accidunt et qualitatem nominis in propriis et appellatiuis conspici docent; hunc ordinem ratione carere, illum ex consuetudine grammaticorum esse patet. Praeterea notandum est Scauri, quem et apud Diomedem et apud Donatum deprehendimus, apud Charisium, Anonymum Bobiensem, Dositheum uestigium nullum occurrere. Artiore igitur uinculo hinc Diomedes et Donatus, illinc Charisius, Anonymus Bobiensis, Dositheus inter se conexi sunt.

In reliquo capite in uniuersum accuratissime inter se Charisius, Anonymus Bobiensis, Dositheus consentiunt. Eodem enim ordine usi de generibus figuris numeris casibus agunt, deinde species nominis enumerant, denique conparationem tractant. Diomedes autem et Donatus non uno loco inter se discrepant, quod quomodo factum sit facile intellegimus, si quam disponendi rationem secuti sint inspicimus. Diomedes enim quae de generibus numeris figuris casibus generaliter docet non eodem capite quo ceteram de nomine doctrinam amplectitur, sed in initio libri posuit; singulares obseruationes hic illic capiti de nomine inmiscuit. Donatus in hoc ut in aliis capitibus rem sic instituit, ut, quantum fieri posset, totam materiam per ea quae unicuique parti orationis accidunt distribueret. Sic explicatur, cur Diomedes inter accidentia nominis (p. 320, 28) qualitatem postremo loco posuerit, quam Donatus et reliqui primo nominant; de ceteris accidentibus iam egerat (p. 301 sq.). Vna in re grauius discrimen inter Diomedem et Donatum animaduertimus. Donatus conparationem nominis, aeque ac Charisius, Anonymus Bobiensis, Dositheus, separatim, sub propria ut ita dicam paragrapho, tractat; idem solus conparationem etiam inter ea quae nomini accidunt refert[1]. Diomedes enim conparatiua

[1] Dosith. p. 398, 11 lemma praebet 'Nominibus accidunt etiam

et superlatiua inter formas deriuationis exhibet et ibi totum de conparatione tractatum posuit.

Iam ad ipsum caput percensendum redeo. Ac primum quidem de speciebus nominis agam ea ratione usus, ut Diomedem quasi fundamentum disputationis habeam et ordinem quem adhibuit sequar.

Quattuor priores species quas Diomedes enumerat[1] sunt quae gentem patriam numerum ordinem significant (Diom. p. 322, 14—17). Cum his Donatus (p. 374, 5—8) plane consentit. Charisius (p. 154, 21. 22), Anonymus Bobiensis (p. 535, 11—13), Dositheus (p. 394, 11. 12) secundam speciem et adnotationem subiunctam (sed primum — alium) omittunt. Secuntur ficta a sonis (V), quae ab aduerbiis (VI), quae a participiis (VII) descendunt (Diom. p. 322, 17—21). Haec apud Donatum non leguntur; reliqui tres eadem praebent (Charis. p. 155, 27—30; Anon. Bob. 535, 34—37; Dosith. p. 396, 11—397, 2). Octaua et nona species sunt participiis et uerbis similia (Diom. p. 322, 21—23). Haec Donatus seruauit (p. 374, 12—14), reliqui omittunt. Quae secuntur species X—XII Diomedes solus exhibet, perileptica etymologica periectica (p. 322, 23—27). Species XIII—XVII sunt: ad aliquid, ad aliquid qualiter se habentia, homonyma, synonyma, mediae potestatis (p. 322, 27—323, 5).

collationes', a librario inlatum. Nam inter accidentia conparationem non nominat.

[1] Diomedes p. 322, 12—14 sic pergit: 'sed haec omnia nomina absoluta (absolute leg.) dicuntur et singulis quibusque rebus personisue apposita (posita codd., apposita sunt leg.)', quibus Keil notam adiecit 'sed — apposita' repetita et suo loco posita esse p. 323, 16. Sed illinc quae hic leguntur uerba 'et singulis quibusque rebus apposita sunt' desumpta non esse adparet. Apud Charisium (p. 156, 3. 4), Anon. Bob. (p. 536, 4—6), Dosith. (p. 397, 7—9) haec leguntur: 'sed haec omnia (nomina cod. Charis.), quamquam species sunt nominum, absolute tamen nomina dicuntur et singulis (quibusque Dosith.) rebus personisue apposita (praeposita Dosith.) sunt'. Adparet hanc plenam sententiam tunc demum effici, si ea coniungimus quae apud Diomedem duobus illis locis leguntur. Itaque de interpolatore cogitari non potest. A Diomede illud enuntiatum diuisum est, et altera pars nominibus et propriis et appellatiuis subiuncta, quibus sic aptus finis inponeretur. Nam propria sedes huic enuntiato post epitheta est, ubi apud Diomedem altera pars, apud reliquos tres totum legitur.

Haec non eodem ordine apud Donatum inueniuntur; XIII et XIV leguntur p. 374, 8—11, XV (Donatus primum tantum enuntiatum recepit) et XVI p. 373, 21—23, XVII p. 374, 2. 3. Reliqui tres uno tenore has species continuant (Charis. p. 156, 4—17; Anon. Bob. p. 536, 6—17; Dosith. p. 397, 10—398, 10). Specie duodeuicesima epitheta continentur (Diom. p. 323, 6—16). Accurate exponitur, unde epitheta sumantur: a qualitate animi, a qualitate corporis, a quantitate, extrinsecus, a qualitate facti, ab accidentibus, a qualitate naturae. Donatus (p. 374, 3) hanc speciem suppressit, cum praecedenti, quae est nominum mediae potestatis ut apud Diomedem, subfigeret hoc enuntiatum: 'haec etiam epitheta dicuntur'. Deinde qualitatis et quantitatis proprias species habet. Exempla omnia omisit. Reliqui tres de epithetis alio loco agunt, i. e. non post nomina mediae potestatis, sed accurate consentiunt cum primo enuntiato Diomedis (p. 323, 5. 6) et tertium ac quartum exemplum exhibent (Char. p. 155, 30—156, 2; Anon. Bob. p. 536, 1—4; Dosith. p. 397, 3—7). Reliqua quattuor exempla quibus Diomedes utitur praeter hunc locum apud grammaticos Latinos omnino non inueniuntur. Ex eis unde apud Diomedem epitheta deriuantur illi tres nonnulla ut proprias species enumerant, alias addunt: qualitas, quantitas, ab accidentibus uel consequentibus tracta, a moribus (om. Charis.), ominalia (om. Charis. et Anon. Bob.); cf. Charis. p. 154, 22—25; Anon. Bob. p. 535, 13—15; Dosith. p. 394, 12—395, 4. — Quae Donatus p. 374, 11. 12 nominat, generalia et specialia, Diomedes omittit, reliqui tres habent (Charis. p. 155, 24—27; Anon. Bob. p. 535, 31—34; Dosith. p. 396, 8—10). Praeterea Donatus inter species, quo iure recte dubites, recepit p. 373, 17—21 quae tota Graeca, quae tota in Latinum conuersa, quae notha; apud Diomedem in fine capitis (p. 328, 28—32) leguntur. Reliqui haec omittunt. — Huic singularum specierum enumerationi Diomedes p. 323, 16. 17 finem inponit, de quo enuntiato antea (p. 9 n.) locuti sumus. Apud Donatum similia non exstant.

Deinde ad n o m i n a d e r i u a t i u a Diomedes transit. Primum (p. 323, 17) nomina primae positionis a deriuatiuis discernit[1].

---

[1] ubi sic legendum est: 'sunt quaedam principalia, quae Graece prototypa dicuntur'; nam 'dicuntur' praebent codd. ABM, 'graece' cod. B.

Similiter, etsi breuius ut solet, Donatus (p. 373, 13—15). Reliqui tres deriuatiua cum patronymicis confundunt (Charis. p. 154, 26—155, 2; Anon. Bob. p. 535, 16. 17; Dosith. p. 395, 5—7). Sequitur enumeratio (Diom. p. 323, 20—23): 'deriuantur autem modis septem. aut enim patronymica sunt, aut possessiua, . . . aut paronyma, aut uerbalia, aut conparatiua aut superlatiua aut deminutiua'. Huius enumerationis ne uestigium quidem apud Donatum relictum est, sicut deminutiua ceteris speciebus modo hic modo illic inmiscuit. Apud reliquos tres uno quidem tenore deriuatiua tractantur, sed quattuor tantum, quot et Donatus seruauit: patronymica possessiua deminutiua uerbalia. Nam conparatiua et superlatiua inter has formas numerare non aptum uisum est grammaticis: separatim de his egerunt; specie paronymorum grammatica Latina carere poterat; hanc praeter Diomedem omnes omittunt.

Primo igitur loco Diomedes de patronymicis agit (p. 323, 24—29). Vberrime exponitur, a quibus personis abusiue patronymica oriantur. Quasi reliquias huius expositionis habemus apud Donatum (p. 373, 23. 24). Quae apud eundem de extremitatibus patronymicorum legimus (p. 373, 24—28) Diomedes omittit. Reliqui tres nil nisi patronymica conmemorant (Charis. p. 154, 27—155, 2; Anon. Bob. p. 535, 16. 17; Dosith. 395, 5—7).

Deinde a Diomede possessiua tractantur (p. 323, 30—324, 7). Apud Donatum (p. 373, 28—374, 2) exemplorum quae Diomedes exhibet primum et quintum redeunt. Charisius (p. 155, 2—10) et Anonymus Bobiensis (p. 535, 17—19) secundum tertium quartum exemplum habent, Dositheus (p. 395, 7—9) secundum et tertium. Quae in fine apud Diomedem leguntur ceteri omittunt omnes. Item paronyma, de quibus Diomedes tertio loco loquitur (p. 324, 8, 9), reliqui omnes, ut supra dixi, omittunt. Quarto loco ῥηματικά nominantur (Diom. p. 324, 10—13), de quibus Donatus breuissime loquitur (p. 374, 12). Reliqui similia praebent atque Diomedes (Charis. p. 155, 22—24; Anon. Bob. p. 535, 29—31; Dosith. p. 396, 5—7).

Secuntur conparatiua et superlatiua, de quibus eundem tractatum Diomedes (p. 324, 14—325, 24) praebet, quem et apud Donatum (p. 374, 15—375, 12) et apud reliquos tres inuenimus (Charis. p. 156, 20—157, 22; Anon. Bob. p. 536, 18—537, 14;

Dosith. p. 398, 11—401, 7). Cum igitur de his rebus Donatus uberius agat, quatenus Diomedes et Donatus et inter se consentiant et a reliquis differant, accuratius demonstrari potest. Si Diomedis et Donati uerba conferimus, etiamsi Diomedes non nulla plenius praebeat, plane eodem ordine isdem sententiis apud utrumque expositionem procedere statim elucet. Inter ea quae, cum apud Diomedem exstent, apud Donatum non leguntur inprimis initium (Diom. p. 324, 14. 15) conmemorandum est, ubi Diomedes definit, quid sint conparatiua et superlatiua. Haec a Donato scribi non potuisse demonstratur illis quae supra exposuimus: Diomedem eas quasi deriuatorum formas nominare, Donatum conparationem inter accidentia nominis posuisse; is igitur a conparatione incipit. Deinde desunt apud Donatum, quae Diomedes p. 324, 17—19 praebet, ubi gradus conparationis definiuntur, quae p. 325, 12—17 (haec redeunt apud Charis. p. 157, 8—10; Anon. Bob. p. 537, 3—5; Dosith. p. 400, 10—12) et quae nouissima parte scripsit p. 325, 22—24, e Plauti Menaechmis prolata. Vna restat particula in capite Diomedis quam Donatus non exhibet. Sed in hanc rem accuratius inquiramus necesse est. Ex ipsis Diomedis uerbis p. 324, 21 'sed quaedam non amplectuntur omnes gradus, id est non per tres gradus eunt' nemo non exspectabit fore ut in sequentibus de iis appellationibus agatur quae regulam conparationis non ferunt. Diomedes uero pergit (p. 324, 22) 'nam o m n i a qualitatium nomina sex retinent formas'; de omnibus igitur adiectiuis quaestio est, etiam de eis quae per tres gradus eunt, cf. p. 324, 26 'sunt quae ex positiui imagine per omnes gradus formantur'. Cum igitur quae post p. 324, 22 secuntur cum praecedentibus omnino non congruant, ita ut haec quibus de 'sex formis' agitur a Diomede interpolata esse procliuis sit suspicio, tum accuratius hanc particulam perscrutantes dictionem miram potius quam artificialem deprehendimus, qualis in reliquo capite nusquam occurrit. Singulae enim formae hoc modo appellantur (p. 324, 24): 'aut enim incipiunt aut sunt aut ueniunt aut adiciuntur aut inueniuntur aut exeunt (u. 37 terminantur)'. Talem dictionem equidem praeter hunc locum semel tantummodo apud grammaticos Latinos inueni in Diomedis capite de syllaba (p. 427, 16—428, 1). Denique ipsum Diomedem confitentem habemus p. 324, 23 'sex retinent formas, quas inserendas putauimus'.

Itaque totam illam particulam inseruit p. 324, 22—38, et quidem ab alio auctore atque relicum caput oriundam. Donatus p. 374, 19—23 exponit, ut exspectamus, quae adiectiua in conparatione deficiant. Cum Donato reliqui tres, Charisius etiam accuratius quam Anonymus Bobiensis et Dositheus, consentiunt (Charis. p. 156, 30—34; Anon. Bob. p. 536, 30. 31+36. 37; Dosith. p. 399, 9—11 + 400, 2. 3). Donatus igitur eundem grammaticum secutus est atque in reliquo capite; Diomedes illius expositionem expulit atque istum tractatum inseruit. Sane inter uerba Donati p. 374, 34—375, 4 et Diomedis p. 324, 29—33 similitudo quaedam intercedit. Cum uero mirae illius dictionis uestigia apud Donatum non exstent, inde non efficitur Donati quoque in manibus illum tractatum fuisse. Hoc enuntiatum eum ex eodem atque relicum caput fonte sumpsisse putabimus. — Si conparamus quae reliqui tres de conparatione docent demonstratione opus non est Anonymum Bobiensem (p. 536, 18—537, 14) et Dositheum (p. 398, 11—401, 7) plane consentire. Bis tantummodo Dositheus pauca uerba omisit quae apud Anonymum Bobiensem leguntur (Anon. Bob. p· 536, 27 = Charis. p. 156, 22. 23 et Anon. Bob. p. 536, 29 = Charis. p. 156, 26. 27). Charisius ab his haud paulum discrepat, et quidem initio, nam quae p. 157, 2—22 scripsit isdem uerbis et eodem ordine apud Anonymum Bobiensem (p. 536, 37—537, 14) et Dositheum (p. 400, 5—401, 7) redeunt. Sed in priore parte nulla ordinis similitudine cum eis coniunctus est, quamquam pauca tantum sunt, quae apud illum leguntur, his desint (Charis. p. 156, 23. 24; 156, 29 cf. Diom. p. 324, 21. 22 et Don. p. 374, 18. 19; 156, 30 cf. Don. p. 374, 19. 20; 156, 32—34 cf. Don. p. 374, 21—23). Si uero ea, in quibus tres illi consentiunt, cum Diomede et Donato conparamus, plane diuerso et hos et illos ordine uti adparet.

Postremo denique loco Diomedes deminutiua tractat (p. 325, 25—326, 29). Initium[1] (Diom. p. 325, 25—28) apud Donatum redit (p. 373, 14—16). Charisius (p. 155, 10—13), Anonymus Bobiensis (p. 535, 19—21), Dositheus (p. 395, 10. 11) primum

---

[1] Diom. p. 325, 27 scribendum est: 'horum autem tres sunt gradus, quorum forma quam magis minuitur crescit saepe numerus syllabarum'; sic Donatus praebet (solus cod. L: quantum magis). Diomedis codd. sic scribunt: quam magis B, quamuis magis A, quamuis M.

tantum enuntiatum praebent. Quae secuntur p. 325, 28—326, 23 neque apud Donatum neque apud reliquos tres inueniuntur. Haec non ex uno fonte petita esse demonstratur ea re, quod et p. 325, 28—30 et p. 326, 19—23 exponitur, quomodo e nominibus feminini generis in a deminutiua oriantur. P. 325, 28—326, 10, ubi de formis deminutiuorum agitur, in exemplis adferendis 'tamquam' particula pro 'ut' adhibetur (quater), quae dictio a reliquo capite aliena est. P. 326, 10—19 praespostere inmixta est expositio de adiectiuis in arius et osus. Neutram igitur particulam illi fonti Diomedes debet ex quo caput de nomine hausit. Denique de iis nominibus Diomedes agit quae deminutiones non faciunt (p. 326, 23—25) et quae in deminutionibus genus nominis prototypi non seruant (p. 326, 26—29). His interpositum est enuntiatum, quo quasi deminutiua conmemorantur (p. 326, 25. 26); eorum Donatus quoque mentionem facit (p. 373, 16. 17), cum apud reliquos similia non legantur. De nominibus quae non seruant genera Donatus in paragrapho de generibus (p. 376, 7—9) isdem ac Diomedes uerbis loquitur, cum reliqui haec post deminutiua quidem, ut Diomedes, tractent, sed uerbis plane diuersis utantur (Charis. p. 155, 13—17; Anon. Bob. p. 535, 21—25; Dosith. p. 395, 11—396, 1). Donatum hanc obseruationem in paragrapho de generibus posuisse mirum non est. Cum enim deminutiua inter species nominis poneret, ubi enumeratio tantum singularum specierum apta erat, alio loco de hac re loqui non potuit. Eandem ob causam quae Diomedes (p. 326, 26—29) de appellationibus quae deminutionem non recipiunt tradit omnino omisit. Reliqui tres de hac quoque re dicunt. Charisius (p. 155, 10—21), Anonymus Bobiensis (p. 535, 20—29), Dositheus (p. 395, 10—396, 5) solito consensu quid sint deminutiua, quae nominibus protypis non consentiant, quae hypocorismata non recipiant exponunt.

Quae de generibus grammatici docent (Diom. p. 301, 4—17; Don. p. 375, 13—24; Charis. p. 153, 8—20; Anon. Bob. p. 534, 2—10) eorum certus consensus non est, sed mirum in modum ab alio alius discrepant. Dositheus (p. 391, 6—14) in priore parte cum Charisio, in posteriore cum Anonymo Bobiensi congruit. Attamen omnes easdem res docent, quinque genera esse, quae simillimo modo definiunt. Haec sola sunt quae Charisius, Anonymus Bobiensis, Dositheus sub titulo de genere trac-

tant. Donatus uero post haec primum quaedam subiunxit de nominibus quae aliud genus sonant atque re uera habent (p. 375, 24—29), e quibus primum enuntiatum uerbo tenus a Diomede in fine capitis de nomini exscriptum est (p. 328, 32. 33). Secuntur apud Donatum nomina quae in singulari numero alterius sunt generis et alterius in plurali, deinde quae incerti sunt generis (p. 375, 29—376, 1). Utraque res a Diomede tractatur (p. 327, 1—15); quae priore loco leguntur a Donato contracta sunt, quae posteriore uerbo tenus consentiunt. Post haec Donatus de nominibus agit quorum genera fixa aut mobilia sunt (p. 376, 1—7), quibus congrua, paulum tamen contracta, apud Diomedem (p. 328, 25—28) leguntur. Hic statim addo quae Donatus p. 376, 10—21 docet reliquos omnes omittere.

In iis quae de figuris praebent admodum omnes consentiunt (Diom. p. 301, 24—30; Don. p. 377, 3—8; Charis. p. 153, 21—25; Anon. Bob. p. 534, 10—14; Dosith. p. 391, 14—392, 3). Diomedes initio quid sit figura definit similiter atque in numeris et casibus, de qua re ceteri uerba non faciunt. Donatus praeterea p. 377, 8—14 de declinatione conpositorum nominum agit; eadem uberiore sane forma a Diomede p. 309, 26—37 exponuntur. Reliqui tres de hac re nihil tradunt.

De numeris Diomedes (p. 301, 19—22) et Donatus (p. 376, 22—24) diuersum in modum locuntur. Donatus contra ac Diomedes et reliqui tres dualem numerum linguae Latinae uindicat, cuius exempla habet duo et ambo. Eandem doctrinam in capite de uerbo exhibet (p. 384, 2). Diomedes ipse ad alium libri locum (p. 334, 26) legentes relegat, ubi alium atque in nostro capite grammaticum sequitur. Anonymus Bobiensis (p. 534, 14—19) et Dositheus (p. 392, 4—8) plane consentiunt; a Charisio (p. 153, 26—154, 5) initio paulum discrepant. Singularium quaestionum, quas hi exhibent, pars apud Donatum seruata est, unam Diomedes quoque descripsit (Charis. p. 154, 2. 3; Anon. Bob. p. 534, 16. 17; Dosith. p. 392, 6; Diom. p. 328, 5—7; Don. p. 376, 24. 25 et Charis. p. 154, 3—5; Anon. Bob. p. 534, 17—19; Dosith. p. 392, 7. 8; Don. p. 376, 32—377, 2). Apud Diomedem (p. 327, 16—328, 5 + 328, 7—23) et Donatum (p. 376, 25—32) cum his coniuncta est disputatio de nominibus quae singularia aut pluralia tantum sunt, de qua infra demum (p. 30) agemus.

Postremo denique loco ea conponamus quae de casibus grammatici tradunt. Diomedes initio paragraphi (p. 301, 32—35) duas definitiones proponit, quibus, ut dixi, ceteri carent. Tum casus enumerat (p. 301, 35—302, 4), quos numero quidem sex, ratione tamen quinque esse docet, cum nominatiuus proprie casus non sit. Quae Donatus eorum loco praebet (p. 377, 13—17) casus esse sex, e quibus duo recti, ceteri obliqui dicantur, cum Diomedis uerbis nihil similitudinis habent. Deinde de ablatiuo Diomedes loquitur (p. 302, 4—7), quem a Varrone sextum, interdum Latinum casum appellatum esse conmemorat. Quibuscum quae Donatus p. 377, 17. 18 scripsit, quamuis sint contracta, consentiunt; reliqui tres huius rei mentionem non faciunt. Charisius initio (p. 154, 5—11) de casibus agit, in primis de nominatiuo, quae, praeterquam quod paulo aliter ordinata sunt, accurate iis respondent quae apud Diomedem p. 301, 35—302, 4 leguntur. Eorum loco Anonymus Bobiensis (p. 534, 19. 20) et Dositheus (p. 392, 9) sex casus enumerant. Tum apud omnes tres hoc enuntiatum sequitur (Charis. p. 154, 11; Anon. Bob. p. 534, 20. 21; Dosith. p. 392, 10): 'adicitur a diligentioribus etiam septimus casus', quo Anonymus Bobiensis et Dositheus tractatum de differentia ablatiui et septimi casus introducunt (Anon. Bob. p. 534, 22—535, 8; Dosith. p. 392, 10—394, 7). Hunc tractatum Palaemonis esse ipsa uerba clamant[1], etiamsi Sacerdotis nomen in exemplo adhibitum, etiamsi Scauri siue Aspri auctoritas laudata sit. Simili paulo tamen aliter figurato enuntiato usus Donatus (p. 377, 20. 21) pauca de eadem re uerba infert: 'quidam adsumunt etiam septimum casum, qui est ablatiuo similis', quibuscum uerbo tenus consentiunt quae apud Diomedem p. 317, 23. 24 legimus. Plenum de illa differentia tractatum, eundem scilicet quem Anonymus Bobiensis et Dositheus exscripserunt, his uerbis Diomedes subiunxit (p. 317, 25—318, 22)[2]. Quae uero Charisius de septimo casu disserit (p. 154, 11—15) ab eis quae reliqui praebent plane dissentiunt. Nullum ibi Remmianae dictionis uestigium, nullum dispositionis

---

[1] Quinquiens et apud Anonymum Bobiensem et apud Dositheum particula 'uelut' occurrit, nunquam 'ut'; cf. Schottmüller de C. Plini Secundi libris gramm. p. 9.

[2] Apud Diomedem quinquiens 'uelut' exhibetur, semel 'ut'.

quam ille adhibuit. Exemplorum quoque cum duo et apud Palaemonem et apud Charisium redeant, tertium quod apud Charisium exstat ille non habet. Itaque Charisii expositio e Palaemone excerpta non est. Ceterum monendum est Donatum de hac differentia in paragrapho de casibus loquī, Diomedem uero hunc tractatum in capite de consensu uerborum cum casibus posuisse (cf. p. 317, 23). Denique Charisius (p. 154, 16—20), Anonymus Bobiensis (p. 535, 9—11), Dositheus (p. 394, 8—10) de quibusdam nominibus agunt, quae non per omnes casus uariantur. Haec apud Diomedem Donatumque non exstant. Donatus, postquam de septimo casu locutus est, de formis casualibus sex disserit (p. 377, 23—29), eadem apud Diomedem (p. 309, 10 sq.) redeunt. Diomedes duobus de hac re tractatibus usus est, quos ita conglutinauit, ut difficile sit terminum inter eos ponere. Sed si p. 309, 7—10 'nihili' cum p. 308, 17 conferuntur, ibi secundum tractatum, cuius initium periit, incipere patet. Cum hoc Donatus consentit. Denique apud Donatum p. 377, 29—31 nomina conmemorantur quorum nominatiuus in usu non est, eadem apud Diomedem leguntur (p. 328, 23—25). Haec reliqui tres omittunt. Quae praeterea Donatus exhibet, nunc omitto, ut quae proprie ad caput de nomine non pertineant.

Iam subsistendum est, ut quid conlatione nostra efficiatur colligamus. Accurata conparatione quam instituimus primum id demonstratum est quinque illos grammaticos non solum omnes eandem materiam amplecti et easdem res docere, sed etiam plerumque eadem enuntiata praebere. In tanto grammaticorum consensu dubium esse non potest, quin totum hoc de nomine caput, quale apud Charisium, Anonymum Bobiensem, Dositheum legimus et quae huic apud Diomedem et Donatum respondent, ad unum grammaticum referendum sit. Auctoris nōmen cum neque adhuc occurrerit neque, ut demonstrabimus, traditum sit, Anonymum eum aptissime appellabimus.

Sed etiam aliud illa conparatione efficitur, non eandem inter omnes intercedere rationem, sed propius conexos esse ex una parte Charisium, Anonymum Bobiensem, Dositheum, ex altera Diomedem et Donatum. Iam accuratius nobis inquirendum erit, quae inter has quasi classes ratio intercedat, quae inter utramque et Anonymum illum grammaticum.

Ac primum quidem, quo ordine usi grammatici disputationem de nomine instituerint, inspiciamus. In initio capitis alium apud Charisium, Anonymum Bobiensem, Dositheum, alium apud Diomedem et Donatum ordinem reperiri supra exposui; monui quoque illum ratione carere; attamen cum illi tres eundem ordinem praebeant, quin in communi fonte eum inuenerint dubitari nequit. Contra hanc sententiam nihil ualet, quod Charisius et Donatus quasdam particulas omiserunt. In enumeratione accidentium quomodo factum sit, ut Diomedes qualitatem postremo loco poneret, supra explicare studui. Cetera Charisius, Anonymus Bobiensis, Dositheus et enumerant et tractant hoc ordine: genus figura numerus casus; Diomedes et Donatus: genus numerus figura casus. In primis, ut supra dixi, in particula de comparatione duae illae classes discernuntur. Difficilis est quaestio de ea quae restat parte, in qua species nominis enumerantur. Charisius (p. 154, 21—156, 17) et Anonymus Bobiensis (p. 535, 11—536, 17) et Dositheus (p. 394, 11—398, 10) sane accurate consentiunt atque eundem, ut ita dicam, ordinem secuntur. Sed qualis ille est! Primum nominantur 'quae gentem significant' et similia, tum deriuatorum formae, deinde aliae species mirum in modum conmixtae, ut 'generalia', 'specialia', 'facta a sonis' 'ab aduerbiis', 'a participiis figurata', 'epitheta'. His quasi finis inponitur uerbis: 'sed haec omnia quamuis species sunt nominum absolute tamen nomina dicuntur et singulis rebus personisue apposita sunt'; nihilo minus secuntur 'ad aliquid' et similia. Cum igitur in hac classe summo cum consensu idem ordo, qui nullus est, adhibeatur, Diomedes et Donatus plane discrepant. Nam quod uterque sub titulo qualitatis de hac materia loquitur, non multum ualet. Diomedes cetera accidentia alio loco tractat. Itaque per se negari non potest hanc particulam in fonte Diomedis eodem loco positam fuisse atque apud illos tres. Donatus ab omnibus ea re differt, quod has species cum illis coniungit in quae proprie appellatiua diuiduntur, corporalia et incorporalia, et haec omnia quasi species appellatiuorum enumerat, cf. p. 373, 11: 'appellatiuorum nominum species multae sunt'. Diomedes hoc enuntiatum non praebet. Disputationem Donati uel magis ordine carere quam illorum grammaticorum primo obtutu adparet. Diomedes solus certa quadam ratione materiam disposuit. A reliquis speciebus, quas p. 322, 14—323, 16 enumerat,

septem deriuationis formas separat: patronymica, possessiua, paronyma, uerbalia, conparatiua, superlatiua, deminutiua. Iam demonstrandum est hanc dispositionem non a Diomede institutam sed e fonte haustam esse. Donatus a Diomede discrepat. Aliunde auxilium petamus necesse est. Hoc Dionysii Thracis ars grammatica nobis praebet. Cum enim totum de nomine caput, quod nostri grammatici exhibent, mirum quantum cum Dionysio consentiat, hoc loco Diomedes eadem atque ille docet. Vt Diomedes species illas et deriuatorum formas discernit, sic Dionysius εἴδη παραγώγων et ea ἃ τῷ ὀνόματι ὑποπέπτωκεν (p. 634, 25 et 636, 8). Sed in singulis quoque Thracis doctrina apud Diomedem redit. Supra monui Diomedem (p. 323, 17 sq.) et Donatum (p. 373, 13 sq.) solos discretionem nominum primae positionis [1] et deriuatorum seruasse, reliquos deriuatiua cum patronymicis confudisse (Charis. p. 154, 26—155, 2; Anon. Bob. p. 536, 16. 17; Dosith. p. 395, 5—7). Cum Diomede accuratissime congruit Dionysius (p. 634, 21). Apud Diomedem (p. 323, 20) 'deriuantur nomina modis septem'. Eadem εἴδη παραγώγων Dionysius (p. 634, 25. 26) enumerat atque eodem ordine, nisi quod paronyma et uerbalia postremo loco exhibet. Similia apud reliquos grammaticos non exstare supra dixi. Confer praeterea quae de patronymicis Diomedes (p. 323, 24—26) et Donatus (p. 373, 23) exponunt cum Dionysio (p. 634, 27. 28), item Diom. p. 324, 14. 325, 10; Don. p. 375, 5 cum Dionys. p. 635, 5, reliqui tres discrepant (Charis. p. 157, 10; Anon. Bob. p. 537, 5; Dosith. p. 400, 12). Inter ea ἃ τῷ ὀνόματι ὑποπέπτωκεν, quae εἴδη id est species quoque appellari dicit, Dionysius (p. 636, 8) multa enumerat quae Diomedes non exhibet, sicut e contrario apud hunc leguntur, quae illi desunt. Nonnunquam uero in hac quoque particula Diomedes proxime ad Thracem accedit. Definitionem epithetorum apud Diomedem (p. 323, 6. 7) atque apud Charisium (p. 155, 30—32), Anonymum Bobiensem (p. 536, 1—3), Dositheum (p. 397, 3—5) eandem inuenimus quam Dionysius praebet (p. 636, 19). Ceterum Diomedem plane aliter de epithetis agere atque reliquos supra exposui; atque cum Diomede Dionysius consentit, cum uterque,

[1] uox 'principalia' a Diomede posita est pro propria dictione 'primae positionis', quam testantur et Donatus et reliqui tres.

Diomedes sane copiosius, enumeret, unde epitheta sumantur (cf. Diom. p. 323, 7—16 et Dionys. p. 636, 19—24). Solus praeterea Diomedes perileptica et periectica tradidit (p. 322, 23—25); apud Dionysium eadem leguntur (p. 637, 13. 14 et 17. 18). Consensu quem inter Diomedem et Dionysium exstare satis probauimus demonstratur Diomedem hanc disponendi rationem non ipsum excogitasse. Cum uero, ut supra exposui, Diomedes in hac quoque parte ab Anonymo pendeat, ab eodem etiam dispositionem recepit. Itaque hic in ordine rerum tractatarum duas classes habemus, alteram e Charisii, Anonymi Bobiensis, Dosithei, alteram e Dionysii Thracis et Diomedis consensu. Quod Donatus hanc particulam in aliam formam redegit, hoc ratione qua opusculum suum conposuit poscebatur. Si igitur aeque atque illi tres quattuor tantum deriuationis formas recepit et de conparationibus propria, ut ita dicam, paragrapho egit, ex hoc consensu propiorem conexum concludere non debemus.

Ad alterum discrimen me conuerto, quod inter duas illas classes obseruamus. Diomedes inter uerba Anonymi particulas ex aliorum grammaticorum libris petitas inseruit, quarum uestigia apud Donatum quoque inuenimus. Eiusmodi est Scauri illud fragmentum, cuius apud reliquos tres notitia non occurrit. Diomedem aeque ac Donatum illam particulam non e proprio libro sumpsisse, sed in communi fonte cum Anonymi expositione coniunctam repperisse certum esse mihi uidetur. Idem cadit in Palaemonis fragmentum de differentia ablatiui et septimi casus. Hoc etiam apud Anonymum Bobiensem et Dositheum deprehendimus, sed Charisio deest. Itaque in communi fonte quo hi tres usi sunt non exstitit, id quod mox accuratius tractabo.

Deinde loci quidam sunt, ubi in utraque classe eaedam res traduntur isdem sententiis, uerbis singulari quodam modo diuersis. Charisius (p. 154, 11), Anon. Bob. (p. 534, 20), Dositheus (p. 392, 10) scripserunt: 'adicitur a diligentioribus etiam septimus casus', Diomedes (p. 317, 23) sic: 'ceterum ab his quidam discrepant, qui etiam septimum casum adsumunt, qui est ablatiuo similis', Donatus (p. 377, 20) sic: 'quidam adsumunt etiam septimum casum, qui est ablatiuo similis'. — Tum Charis. p. 155, 13, Anon. Bob. p. 535, 21, Dosith. p. 395, 11: 'illud uero memineris quod semper deminutiones generibus suis unde oriuntur consonant, pauca dissonant', Diom. p. 326, 26, Don.

p. 376, 7: 'sunt item quae non seruant genera quae ex nominibus primae positionis acceperunt'. — Denique Charis. p. 157, 19. 20, Anon. Bob. p. 537, 11. 12, Dosith. p. 401, 4. 5: 'scito autem conparatiuum gradum ablatiuum casum trahere numeri tam singularis quam pluralis', Diom. p. 325, 9. 10, Don. p. 375, 4. 5: 'conparatiuus gradus ablatiuo casui iungitur (Donatus: adiungitur) utriusque numeri'.

Postremo denique loco ea quoque conmemoranda sunt, quae in altera classe leguntur, in altera omittuntur. Quae Diomedes (p. 322, 3—5) et Donatus (p. 373, 10—11) tradunt, praenomina aut singulis aut binis aut ternis litteris notari, reliqui tres omiserunt. Item hi omittunt speciem nominum quae patriam significant (Diom. p. 322, 15 et Don. p. 374, 6), tum enuntiatum illud quod apud Diomedem (p. 322, 16. 17) et Donatum (p. 374, 7. 8) legimus: 'sed primus de multis, de duobus prior dicitur; sicut de duobus alterum dicimus, de multis alium', deinde species 'quae participium sonant' et 'quae uerbis similia sunt' (Diom. p. 322, 21—23, Don. p. 374, 12—14), denique Charis. p. 156, 9, Anon. Bob. p. 536, 10, Dosith. p. 398, 2 neglegenter omittunt haec: 'ut ⟨dexter sinister. haec et conparatiuum gradum admittunt, ut⟩ dexterior sinisterior'; cf. Diom. p. 322, 32 et Don. p. 374, 10. In paragrapho de conparatione Diomedes et Donatus soli haec tradunt: Diom. p. 324, 19. 20 = Don. p. 374, 17; Diom. p. 325, 1—9 = Don. p. 374, 27—34; Diom. p. 325, 11—12 = Don. p. 375, 6. 7; Diom. p. 325, 19—21 = Don. p. 375, 9—12. Praeterea illi tres non conmemorant deminutionis gradus tres (Diom. p. 325. 26—28, Don. p. 373, 15. 16), neque quasi deminutiua (Diom. p. 326, 25. 26, Don. p. 373, 16. 17). Item illi non locuntur de nominibus quae in singulari numero alterius sunt generis et alterius in plurali et quae incerti sunt generis (Diom. p. 327, 1—5, Don. p. 375, p. 29—376, 1), de nominibus fixis etc. (Diom. p. 328, 25. 26, Don. p. 376, 1—7), de nominibus quae aliud genus sonant ac habent (Diom. p. 328, 32. 33, Don. p. 375, 24—29). Denique illi non disserunt de ablatiuo casu (Diom. p. 302, 4—7, Don. p. 377, 17. 18). — Contra Diomedes et Donatus non conmemorant, quae in casibus deficiunt (Charis. p. 154, 16—20, Anon. Bob. 535, 9—11, Dosith. p. 394, 8—10), et in paragrapho de conparatione haec omittunt: Charis. p. 156, 21—

27 = Anon. Bob. p. 536, 25—29 = Dosith. p. 399, 6—9; Charis. p. 156, 34—157, 2 + 157, 3—8 = Anon. Bob. p. 536, 32—36 + 37—537, 2 = Dosith. p. 399, 12—400, 2 + 400, 3—9. — Si, ut in exemplis praepositis, duo grammatici omittunt quae tres praebent uel uersa uice, etiam ex silentio haud parui pretii petimus argumenta.

Cum igitur in tot rebus Diomedes et Donatus inter se consentientes a Charisio, Anonymo Bobiensi, Dositheo et ipsis inter se consentientibus discrepent, ad fontes et eum quo illi et eum quo hi usi sunt illae differentiae referendae sunt. At supra exposui hoc caput, quale apud omnes quinque legitur, uni eidemque auctori tribuendum esse. Haec, quae inter se pugnare uidentur, eo tantum modo conciliamus, ut duas illas classes coniciamus duabus eiusdem artis recensionibus usas esse. Nam neutram classem Anonymi imaginem inperturbatam seruasse et recte me de 'recensionibus' locutum esse demonstratur ex una parte (ut unum exemplum adhibeam) illa ratione qua apud Charisium, Anonymum Bobiensem, Dositheum initium capitis et particula de nominis speciebus disposita est, ex altera parte aliorum grammaticoram fragmentis quae apud Diomedem et Donatum inserta occurrunt.

Iam per se ueri simile est etiam illas recensiones non inmutatas traditas esse. De Charisii, Anonymi Bobiensis, Dosithei fonte communi id demonstrare possumus. Quae de septimo casu grammatici nostri scripserunt eis enuntiatum praemittunt quod uterque editor suo modo configurauit, ut supra dixi. Post hoc Anonymus Bobiensis et Dositheus Palaemonis expositionem de differentia ablatiui et septimi casus exhibent; quae uero Charisius de eadem re disputat, ut supra dixi (p. 16. 17), ita conparata sunt, ut Remmianae dictionis ne uestigium quidem obseruetur. Iam Charisium ipsum Palaemonis uerba in fonte quidem legisse, sed contrahendo et mutando in eam quam praebet formam redegisse nemo putabit. Eadem accuratione usi et hic et illi librorum quos in manibus habebant uerba descripserunt. Itaque aut exemplar huius editionis quo Charisius aut illud quo Anonymus Bobiensis et Dositheus usi sunt redactricem manum expertum est. Illud uero minime credibile est hanc Palaemonis particulam, qualis erat, ab ipso Anonymo in librum suum translatam esse. Immo quae apud Charisium leguntur coniciemus

uerba ipsius Anonymi esse, qui Palaemonis se applicuit doctrinae, cui ex suo ingenio nouam formam admouit. Si haec recte disputauimus, tum etiam in illa recensione ex qua tres illi grammatici pendent haec uerba exstabant. Huius recensionis exemplar iterum pertractatum est, priusquam ab Anonymo Bobiensi et Dositheo in usum uocaretur. Redactor ille, id quod sine ulla uel praecedentium uel sequentium uerborum mutatione fieri poterat, Anonymi expositionem expulit et loco eius Remmianam intulit. Etiam in altera recensione, ut supra demonstraui (p. 16), Palaemonis uerba legebantur et quidem post disputationem de ablatiuo casu. Hoc enim loco apud Donatum (p. 377, 20) traduntur et illuc Diomedis uerba (p. 317, 23) monstrant. Itaque huic diasceuastae quoque quae Palaemon de septimo casu disseruerat magis placuerunt quam quae Anonymus exhibebat. Deinde nonnulli loci sunt ubi Anonymus Bobiensis et Dositheus quaedam uerba omittunt, quae apud Charisium leguntur. Ea iam in communi fonte quo usi sunt non exstitisse e consensu illorum concludo. Apud Charisium (p. 154, 16) hoc enuntiatum habemus: 'sed quaedam nomina per omnes figuras uariantur: quaedam nomina inueniuntur quae flecti non possunt' etc. Anonymus Bobiensis (p. 535, 9) et Dositheus (p. 394, 8) uerba 'sed — uariantur' omittunt, quae apte legi nemo negabit. Deinde Charisius (p. 154, 6—11) disputat, utrum nominatiuus casus sit necne, quae apud illos desunt (Anon. Bob. 534, 19, Dosith. p. 392, 9). Charisium tuetur Diomedes (p. 301, 35—302, 4). Ex eis quae apud Charisium p. 153, 26 sq. leguntur Anonymus Bobiensis (p. 534, 14) et Dositheus (p. 392, 4) et dualis et semper pluralium mentionem non faciunt. Posteriora eos omisisse in promptu est, priora isdem uerbis Charis. p. 18, 2 redeunt. In posteriore parte paragraphi de conparationibus Charisium (p. 157, 2—22) et Anonymum Bobiensem (p. 536, 37—537, 14) et Dositheum (p. 400, 3—401, 7) accuratissime consentire supra dixi (p. 8. 9); sed in priore inter hos et Charisium tales differentiae obseruantur, ut exemplaria huius recensionis, et id quo hi usi sunt et id quod Charisius habuit, manum redactricem experta esse nobis suadeatur. Primum de eis agam quae in fonte Anonymi Bobiensis et Dosithei mutata erant. E nominibus quae conparationem non habent, hi omittunt quae apud Charisium p. 156, 23. 24 leguntur, Dositheus ea quoque

quae praecedunt (Charis. p. 156, 22. 23, Anon. Bob. p. 536, 27). Deinde differunt in ea particula qua de defectiuis conparationibus agitur. Charisium (p. 156, 30—34) Donatus tuetur (p. 374, 19—23). In fonte illorum interpositum est enuntiatum de superlatiuis quae absolutum non habent (Anon. Bob. p. 536, 32—36, Dosith. p. 399, 12—400, 2). Praeterea dictio mutata est. Charisius sic scripsit 'aliquando primus et secundus ... aliquando primus et tertius ..', similiter Donatus 'aliquando positiuus et conparatiuus .., aliquando positiuus et superlatiuus..'; contra Anonymus Bobiensis et Dositheus sic 'quaedam sunt quae unum tantum recipiunt conparatiuum.. quaedam superlatiuum tantum..'. Nam testimonio Donati euincitur sic Anonymum ipsum scripsisse. Itaque Charisius non recessit ab huius recensionis uerbis, sed Anonymi Bobiensis et Dosithei exemplar. Etiam exemplar quo Charisius utebatur pertractatum erat. Huius rei testis ordo est qui in rebus tractandis apud Charisium p. 156, 17—29 adhibetur. Non solum apud Anonymum Bobiensem (p. 536, 18—29) et Dositheum (p. 398, 11—399, 9) disputatio melius procedit, sed etiam a Charisio p. 156, 17—19 idem quod p. 156, 20. 21 et p. 156, 24—27 idem quod 156, 29. 30 docetur. Hae iterationes redactorem sapiunt. Nam qui haec et similia Charisium ipsum instituisse putant non recte de ratione qua fontibus suis usus est iudicare mihi uidentur. Item iam in fonte Charisii defuisse uidentur quae apud Anonymum Bobiensem (p. 536, 19—23) et Dositheum (p. 398, 13—399, 3) leguntur, nomina conparationis inposita esse parum proprie, cuius loci initium apud Diomedem (p. 324, 28—325, 1) et Donatum (p. 374, 25—27) redit. Similiter Charisii fons contraxit (p. 155, 30) quae Anonymus Bobiensis p. 535, 36—536, 1 et Dositheus 397, 1—3 exhibent; cf. Palaemonis fragmentum Charis. p. 49, 3[1]. Deinde in archetypo huius recensionis exstitisse, in fonte Charisii omissum fuisse puto nominis ueriloquium, quod Anonymus Bobiensis (p. 533, 9—11) et Dositheus (p. 390, 1—3) tradunt, idem enim apud Diomedem (p. 320, 25—27) exstat. Kummrow l. l. p. 6, quia apud Diomedem uerbis Scauri subiunctum est, inter Scauri fragmenta id recepit; id quod sententiarum conexu non postu-

---

[1] ubi sic legendum est: '⟨sunt nomina quae a participiis⟩ figurata appellauerunt' etc.

latur, cum Diomedes e Scauro definitionem tantum nominis se prolaturum esse dicat. Equidem, cum apud Diomedem et Anonymum Bobiensem Dositheumque haec uerba redeant, Anonymo ea tribuere non dubito. Item Charisium p. 154, 26 sq. exemplar interpolatum exscripsisse patet conlatis Anonymo Bobiensi (p. 535, 16) et Dositheo (p. 395, 5); uide quae supra (p. 11. 19) de consensu Diomedis cum Dionysio diximus. Neque minus suspicionis plena sunt haec uerba Charisii (p. 155, 11 sq.) 'adiecta in nouissima parte aut littera aut syllaba', quibus quid grammaticus significare uoluerit equidem ignoro. Exemplorum quae secuntur ne uno quidem demonstratur deminutionem adiecta littera fieri. Reliqui illa uerba omittunt (Diom. p. 325, 25; Anon. Bob. p. 535, 19; Dosith. p. 395, 10). Itaque demonstrauimus e retractatis exemplaribus huius recensionis et Charisium et Anonymum Bobiensem Dositheumque hausisse. Num idem in Diomedem et Donatum cadat diiudicari nequit. Nam qua libertate fontis copiis usi sunt, non per se fonti tribui possunt quae aut hic aut ille praebet.

Itaque inquisitione nostra demonstratum est quae quinque illi grammatici docent, quamuis ad unum auctorem referenda sint, non ex eodem ab omnibus exemplari sumpta esse. Copias Anonymi grammatici duabus recensionibus traditas esse probaui, quarum alteram Diomedes et Donatus, alteram Charisius, Anonymus Bobiensis, Dositheus adierunt. Iam non caput de nomine solum, sed totam artem Anonymi expertam esse manus redactrices in promptu est. Neque minus id certum mihi uidetur quinque nostros grammaticos integra recensionum exemplaria in manibus habuisse. Quae si recte disputauimus, iam non mera suspicio est eos etiam alia ex hoc fonte hausisse. Haec igitur inuestiganda sunt. Cum supra uiderimus accuratiorem consensum inter eos grammaticos obseruari qui ex eadem editione pendent, conparationem eorum quae quinque illis grammaticis communia sunt, sic puto optime instituemus, ut primum Diomedem et Donatum, deinde reliquos tres conferamus.

Cum Diomedes fere in unoquoque capite conplurium grammaticorum uestigia presserit, Donati uero opus simpliciorem speciem praebeat, ea ratione utar, ut hunc pro fundamento disputationis habeam. Inquiram igitur, quae unicuique Donati capiti apud Diomedem respondeant. Qua in re, quos praeterea

fontes Diomedes adhibuerit, quomodo quae cum Donato consentiunt a reliquis differant, definiendum erit. Sunt etiam quae, quamuis apud Donatum similia non inueniantur, ex hoc fonte Diomedem hausisse conicias, cum de isdem rebus in altera recensione agatur. Si quae eiusmodi sunt, nunc tantum leuiter tango atque sequenti disputationi reseruo.

E capitibus quae in arte Donati exstant cum quindecim tantum prioribus, ut supra dixi, mihi res est; e quibus ipsis quartum De pedibus, quia ad res metricas pertinet, omitto.

Quae in primo Donati capite, quod est De uoce p. 367, 5—7, leguntur apud Diomedem p. 420, 9—15 redeunt; deinde alium fontem adhibuisse uidetur ille.

Secundum Donati caput est De littera p. 367, 9—368, 16. Cum Donato consentit Diomedis prior definitio (p. 421, 15). Vtrum quae p. 421, 28—31 de accidentibus scripsit, huic an alii fonti debeat in dubio relinquo. Nam Donatus (p. 368, 14—16) paucioribus de hac re uerbis loquitur, quam ut firmam conparationi ansam praebeat. Deinde haec cum Donato congruunt:

Don. p. 367, 9—11 = Diom. p. 422, 4 item —7
Don. p. 367, 12—21 = Diom. p. 422, 14—24
Don. p. 368, 1—5 = Diom. p. 423, 2—6[1]
Don. p. 368, 5—10 = Diom. p. 423, 9—16
Don. p. 368, 12—14 = Diom. p. 423, 31—36.

Quae praeterea Diomedes hoc capite amplectitur ad alium auctorem referenda sunt. In illis particulis quae cum Donato non congruunt tres differentiae litterarum statuuntur, prima (p. 421, 33) qualitates habet duas, cum aut Latinae aut Graecae, totidem secunda (p. 422, 3), cum aut uocales aut consonantes, tertia (p. 422, 28) tres, cum aut semiuocales aut mutae aut duplices sint. Similia neque apud Donatum neque in eis particulis quae cum Donato consentiunt docentur. Deinde nonnunquam Diomedes bis de eadem re disserit. Diom. p. 422, 4 'item consonantium quaedam semiuocales, quaedam mutae', et

---

[1] fortasse etiam uerba 'ex his x duplex est' (p. 422, 30) ex hoc fonte sumpta sunt, cum aliter non intellegamus, quomodo factum sit, ut de duplicibus litteris primo loco agatur, nam u. 29 (ex altero fonte) tertio demum loco nominantur. Apud Donatum haec uerba enumerationem semiuocalium subsecuntur.

p. 422, 29 'tertia differentia in litteris qualitates habet tres, quod aut semiuocales sunt aut mutae aut duplices'; cum priore loco Donatus congruit (p. 367, 10). De mutis Diomedes duas definitiones exhibet, alteram p. 423, 9, alteram p. 423, 24 et 8; prior apud Donatum legitur (p. 368, 5). Denique certa quadam formula alter grammaticus utitur in definiendis singulis litterarum potestatibus: p. 422, 7 'uocales ideo dictae quod..', p. 423, 6 'semiuocales dictae quod..', p. 423, 24 'mutae dictae quod..'[1]). Apud Donatum contra legimus p. 367, 11 'uocales sunt quae..', item p. 367, 21 et p. 368, 5 cf. Diom. p. 423, 9. — Diomedem etiam posteriorem capitis partem p. 424, 2—426, 11 ex Anonymi recensione sumpsisse conparatis Charisio et Dositheo probatur, de qua re infra locuturus sum. Hoc loco id tantum moneo Diomedem nonnunquam bis de eadem littera agere, de k littera p. 424, 27—29 et 424, 29, 30, de t littera p. 425, 28—30 et 425, 30. 31, de x littera p. 425, 34—426, 3 et 426, 3—7.

Tertium caput Donati est De syllaba et de communi syllaba p. 368, 18—369, 15. Cum Donati uerbis apud Diomedem haec consentiunt:

Don.	p.	368, 18—19	=	Diom.	p.	427, 4. 5.
„	„	368, 19—24	=	„	„	427, 10—14.
„	„	368, 24—369,2	=	„	„	428, 1—19.
„	„	369, 14. 15	=	„	„	428, 19. 20.
„	„	369, 3—5	=	„	„	428,31—33 + 429, 3.
„	„	369, 5. 6	=	„	„	430, 18. 19.
„	„	369, 6. 7	=	„	„	429, 28. 29.
„	„	369, 8	=	„	„	429, 19. 20[2].
„	„	369, 9—11	=	„	„	429, 9—10[2].
„	„	369, 11. 12	=	„	„	430, 13. 14.
„	„	369, 12	=	„	„	430, 5.

Donatus, quae est eius consuetudo, omnia, quantum fieri poterat, contraxit. Exempla praeter unum omnia omisit, quibus

[1] p. 423, 24, post finitam expositionem de mutis litteris ex consuetudine huius grammatici proprie definitio mutarum legitur. atque hoc loco plena exhibetur; a Diomede ipso illa iterata est quae p. 423, 8 exstat.

[2] haec minus accurate consentiunt.

quin in fonte eius nulla regula caruerit dubium esse non potest. In capite Diomedis quod De syllaba inscribitur, etiam ea quae post definitionem de origine uocis 'syllaba' exhibentur ex Anonymo hausta esse puto. De modis quibus syllaba positione longa fit Donatus paulo aliter atque Diomedes disserit; contraxit hanc particulam. Ceterum monendum est exempla 'at Venus', 'at Iuno' (Diom. p. 428, 9. 10, Don. p. 368, 26) apud reliquos grammaticos non adhiberi. — Vna particula est cuius nulla apud Donatum uestigia occurrunt (Diom. p. 427, 16—428, 1), qua exponitur quibus modis syllaba natura longa fiat. Neque haec ab Anonymo originem ducit. Inspice dictionem; p. 427, 20 'et dicitur is modus' 'constat', similiter ceteri 'constat diphthongo', 'incipit', 'terminatur', 'habet in se'. Sine dubio haec particula ad eundem auctorem referenda est atque ille tractatus 'de sex formis quas omnia qualitatium nomina retinent', qui a Diomede paragrapho de conparationibus insertus est (cf. p. 12). In capite quod inscribitur De communibus syllabis alterum quoque fontem Diomedes adhibuisse uidetur, ex quo Graeca exempla descripsit.

Quartum Donati caput De pedibus me omittere dixi.

Quintum Donati caput est De tonis p. 371, 2—372, 13. Diomedes ex Anonymo petiuit haec:

Don. p. 371, 2	=	Diom. p. 431, 4. 5[1]
„ „ 371, 2. 3	=	„ „ 431, 5. 6[2]
„ „ 371, 3—22	=	„ „ 431, 10—34
„ „ 371, 22—27	=	„ „ 433, 30—36
„ „ 371, 27—30	=	„ „ 433, 4—14
„ „ 371, 31—372, 1	=	„ „ 434, 1—6[3]
„ „ 372, 1—13	=	„ „ 434, 36—435, 21.

Praeterea alios fontes Diomedes adiit. Quae in fine capitis p. 435, 22—436, 8 et quae p. 433, 2. 3 leguntur ei auctori debet ex quo alterum de communibus syllabis tractatum Charisius hausit (p. 16, 5—23 et 23—25). Tum ab Anonymo aliena esse uidentur quae p. 432, 6—433, 2 de ratione quae inter

---

[1] apud Diodem 'uel tonos' legendum esse conicio.

[2] fortasse etiam proxima ex Anonymo hausta sunt, quamuis apud Donatum uel non uel non sic legantur.

[3] postremum enuntiatum (Diom. p. 434, 6) Donatus omisit.

pedes et accentus intercedit et quae p. 434, 6—35 de usu accentus in discernendis significatibus leguntur. Quae Diomedes p. 433, 15—29 praebet, etsi Anonymi doctrinae non repugnent (cf. Diom. p. 409, 2 = Don. p. 389, 29), tamen hoc loco tam inepte posita sunt, ut iure dubites, num ex communi Diomedis et Donati fonte descripta sint.

In capite sexto Donatus De posituris agit p. 372, 15—23, a quo quae apud Diomedem inueniuntur plane discrepant excepto postremo enuntiato (Don. p. 372, 22 = Diom. p. 439, 8). Hoc ideo moneo, quia haec uerbo tenus consentiunt neque similia apud reliquos grammaticos exstant.

Septimum caput Donati est De partibus orationis p. 372 25—30. Diomedes p. 300, 26—301, 2, ut in tali capite exspectandum est, cum Donato minus accurate consentit. Animaduertendum tamen est congruere Don. p. 372, 27 et Diom. p. 301, 1—2.

Quae De nomine Diomedes et Donatus docent eorum partem supra tractaui. Restat ut reliqua conponamus.

Donatus p. 378, 3—379, 9 De ablatiuo casu agit. Diomedes (p. 303, 31—308, 5) quasi fundamento Anonymi expositione usus est, cui ut solet aliorum auctorum frustula intexuit. E Palaemone sumpta sunt haec: p. 304, 1—6 (cf. Charis. p. 20, 7—21, 1 = Anon. Bob. p. 538, 8—18) et p. 304, 34—305, 8 (cf. Charis. p. 31, 12—21 = Anon. Bob. p. 547, 19—26) et p. 306, 35—307, 4 (cf. Charis. p. 46, 6—11 = Anon. Bob. p. 345, 15—20), quamquam quae postremo loco leguntur num Remmiana sint dubitari posse scio. Denique in fine pauca addidit Diomedes (p. 308, 3—5). His exceptis totum caput[1] ad recensionem Anonymi referendum est, ut e consensu cum Donato[2]

[1] Verba Diomedis p. 307, 18 sq. corrupta sunt. quae uersibus 20. 21 leguntur Keil ut interpolata recte uncis inclusit. Postremum enuntiatum uerbo finito caret. Keil suppleuit 'inuenies', parum apte, cum 'inuenimus' praecedentis enuntiati initium sit. Quomodo hic locus restituendus sit conlatis Donati uerbis adparet. Sic scribendum est p. 307, 20: 'ab hoc iugero iugerorum iugeribus. sed scire debemus multa quidem ueteres aliter declinasse, ut ab hac domu domuum domibus et ab hoc iugere iugerum iugeribus, uerum euphoniam' etc. Scriba, cum iterata uoce 'iugeribus' deciperetur, interposita omisit.

[2] Donatus semper omittit nominatiuum accusatiuum uocatiuum conmemorare. Ceterum conferas quae infra exposui p. 45 adn. 3.

elucet, etiam ea quae Diom. p. 306, 5—35 leguntur. Hanc particulam ibi propriam sedem non tenere ubi apud Diomedem exstat facile intellegemus, si dispositionem capitis inspiciamus. Ordine alphabetico extremitates ablatiui singularis proponuntur et quomodo ex unaquaque pluralis numeri casus formandi sint docetur. Si igitur in hanc planam atque adstrictam expositionem post ablatiuum i littera terminatum commentatiuncula inseritur de genetiuo plurali in ium finito, demonstratione opus non est eam hoc loco positam non esse ab eo grammatico qui hoc caput conscripsit. Cum uero eodem loco eadem res apud Donatum (p. 378, 20—30) tractetur, a diasceuasta hanc particulam in caput De ablatiuo inlatam esse iudicandum est. Attamen ab Anonymo eam oriundam esse crediderim.

Praeterea in communi fonte Diomedis et Donati exstitit haud paruum caput de nominibus quae aut singularis aut pluralis tantum numeri sunt. Paucissima tantummodo inde Donatus hausit (p. 376, 25—32), multo plura, quamuis et ipse priorem partem contrahens, Diomedes (p. 327, 16—328, 5 + 328, 7—23). Diomedes tractat haec: semper singularia generis masculini feminini neutrius, semper pluralia generis m. f. n.; deinde conplures species nominum enumerat quae nisi numero singulari non usurpantur: metallica, nomina deorum elementorum montium ciuitatium fluuiorum, quae mensurae uel ponderi subiecta sunt. Ex his Donatus ea tantum quae semper singularia uel pluralia sunt accuratius nominat — alio quoque ordine usus, cum sub unoquoque genere quae alterutrius tantum numeri sunt ponat —, praeterea tradit, quae apud Diomedem postremo loco tractantur. Tamen, etsi exigua tantum huius capitis uestigia apud Donatum seruata sint, dubitari nequit quin omnia quae Diomedes praebet ex hoc fonte hausta sint, cum artissimus inter ea conexus obseruetur.

Deinde apud Donatum (p. 377, 31—378, 2) et Diomedem (p. 314, 8—15) breuiter exponitur quae adiectiua cui casui iungantur, quae uerba Donatus in paragrapho de casibus posuit, Diomedes[1] idiomatibus datiui casus subfixit. Hanc particulam

[1] Diom. p. 314, 13 editiones interpolatas recte scripsisse 'mactus uirtute' Donati testimonio confirmatur. Respexit grammaticus 'sententiam diam Catonis' Hor. sat. I, 2, 31.

non ex eodem fonte ac totum caput De consensu uerborum cum casibus Diomedem sumpsisse inde probatur, quod, cum relicum caput secundum casus dispositum sit, hoc loco omnes casus tractantur. Nam nomina quae genetiuum casum trahunt ideo Diomedes omisit, quia antea de eis egerat.

Item ex hoc fonte deriuata sunt quae Donatus p. 379, 17—21 et Diomedes p. 303, 3—6 tradunt, quibus litteris omnia nomina nominatiuo singulari terminentur.

Itaque fere omnia quae in Donati capite De nomine leguntur apud Diomedem redeunt. Pauca restant quibus quae respondeant apud Diomedem non inueniuntur. Donatus p. 376, 10—21 de extremitatibus nominum agit, ubi nil nisi catholica nominum quae uocalibus terminantur descripsit. Huiusmodi caput apud Diomedem desideratur, quippe qui nomen minus diligenter tractauerit. Quae Don. p. 379, 10—17 leguntur quasi rudera esse ampliorum capitum uidentur. Cur haec communi Diomedis et Donati fonti abiudicemus causa non est.

Octauum Donati caput est De pronomine p. 379, 23—381, 11. Pauca tantum sunt in quibus Donatus cum Diomede congruat. Diomedes initio capitis ea quae pronomini accidunt tractat, in quam expositionem, cum alioquin continua sit, inter 'ordinem' et 'casus' duae particulae insertae sunt, quae huc non pertinent (p. 329, 22—25 et p. 329, 25—29), prior de significatibus pronominum, posterior de possessiuis. Ex his ea quae priore loco leguntur apud Donatum (p. 370, 30—380, 2+5. 6) redeunt. Haec apud Diomedem loco non apto inueniri dixi; quid enim eis cum ordine? Cur hoc loco a Diomede posita sint, intelleges, si Donatum inspexeris. Donatus in paragrapho de qualitate, postquam finitam et infinitam quasi principales differentias proposuit, alias pronominum species enumerat, quam expositionem eadem ratione institui atque eam quae in capite De nomine exstat monuisse satis habeo. In hac enumeratione pronominibus quae gentem significant etc. praecedunt praepositiua et subiunctiua. Ex altero igitur fonte Diomedes petiuit quae de accidentibus disserit. Ex hoc etiam u. 20—22, 'tantus ille est' de ordine pronominum, i. e. de praepositiuis et subiunctiuis fluxerunt. Tum alterum fontem inspexit, in quo et ipso praepositiua et subiunctiua conmemorata erant et post haec aliae species pronominum. Illa Diomedes omisit, haec eis quae

ex priore fonte descripserat subiunxit. Quae si recte disputauimus, in prima capitis particula conscribenda Diomedes alium atque Donatus fontem adhibuit. Quae sententia aliis quoque argumentis firmatur. Definitio pronominis similis quidem ab utroque exhibetur, sed discrepant in eis quae omnino a grammaticis Latinis in hac definitione diuersum in modum exprimuntur (cf. Vhligium ad Dion. Thr. p. 64). Deinde Diomedes (p. 329, 5) qualitates pronominum tres esse dicit, finitam, infinitam, minus quam finitam, Donatus (p. 379, 26. 27) 'qualitas pronominum bipertita est. aut enim finita sunt pronomina aut infinita'. Verba (u. 28) 'sunt etiam pronomina minus quam finita' ad ipsam diuisionem nihil ualent. 'Minus quam finita' sic pro specie habentur, ut quae secuntur[1]. Si igitur in paucis tantum particulis Donatus cum Diomede congruit id ea re explicatur, quod Diomedes accidentia pronominis tractauit non eum auctorem secutus quo Donatus usus est, et quod Donatus describere omisit quae in eius fonte de declinationibus pronominum exstabant (de qua re infra disputaturus sum). E Diomedis uerbis haec cum Donato consentiunt:

Diom. p. 329, 22—25 = Don. p. 379, 30—380, 2+5. 6
Diom. p. 332, 7 sq. = Don. p. 380, 32 sq.

Nonum Donati caput est De uerbo p. 381, 14—385, 9. Diomedes in primis duorum auctorem artes exscripsit, Palaemonis et ignoti cuiusdam, cui quae p. 334—346 leguntur fere omnia debet. Alterum Anonymum non esse cum ex ipsa disserendi ratione et dictione adparet, tum facile demonstratur, si ea quae cum Donato consentiunt et quae illi debet conparamus. Donatus p. 381, 26 quattuor 'formas' uerborum, perfectam meditatiuam frequentatiuam inchoatiuam, esse docet. Apud Diomedem plerumque uocabulum 'qualitas' uel 'species' adhibetur; p. 334, 15 'qualitas uel species'; praeterea 'qualitas' legimus p. 334, 11; 342, 29; 342, 32; 344, 28: 'species' p. 343, 2. 28; 344, 20. 25; 346, 12. 'Forma' uocem exhibet Diomedes in lemmate p. 344, 27 et p. 346, 1. Sed lemmata ipsum Diomedem scripsisse ueri simile non est — qua de causa ubi in

[1] Cum hac sententia optime congruit, quod etiam in altera recensione Anonymi (Charis. p. 157, 26; Anon. Bob. p. 537, 4; Dosith. 401, 9) 'qualitatem bipertitam' inuenimus.

titulis praefixis 'qualitas' et 'species' occurrant non notaui — immo crediderim p. 346, 2 uocem 'forma' a librario falso ex lemmate repetitam pro 'species' positam esse. Nam praeterea tribus tantum locis uocabulum 'forma' legitur, p. 344, 13; 345, 23 (bis), in particulis quae cum Donato consentiunt (Diom. p. 344, 13—16 = Don. p. 382, 6—9 et Diom. p. 345, 15—25 = Don. p. 381, 30 + 382, 2—6). Itaque aliam dictionem apud Diomedem deprehendimus, ubi cum Donato congruit, atque in reliquis partibus. Praeterea cum Donato consentiunt haec: de uerbis inpersonalibus

Diom. p. 397, 21—27 = Don. p. 381, 22—26
„ „ 397, 32—398, 2 = „ „ 384, 22—26,

de uerborum coniugatione

Diom. p. 347, 3—36[1] = Don. p. 382, 10—34.

De consensu uerborum cum casibus Donatus p. 384, 18—22 agit; primum enuntiatum Diomedes p. 311, 1 tradit[2].

Decimum caput Donati est De aduerbio p. 385, 11—387, 16. De significationibus aduerbiorum eadem apud Diomedem (p. 404, 3—32) atque apud Donatum (p. 386, 7—22) leguntur, nisi quod p. 404, 17. 18 e Palaemone (cf. Charis. p. 189, 1. 2) sumpta sunt. Diomedes sub unaquaque significatione multa exempla enumerat, Donatus plerumque unum tantum exhibet. Ordine non eodem utuntur, qua in re Donatum mutasse puto. De aduerbiis loci copiosius uterque absolutis reliquis agit, Donatus iterum de eadem re. — Num Diomedis uerba p. 405, 13—16 ad Anonymum referenda sint, dubitatione non caret; nam consensus huius particulae cum Donato (p. 387, 9—13) non adeo accuratus est. Praeterea cum Donato haec consentiunt:

Diom. p. 405, 20—27 = Don. p. 386, 25—33[3]
„ „ 405, 28—34 = „ „ 387, 4—9
„ „ 406, 1—3 = „ „ 387, 13—16

[1] Quae praecedunt Cominiani sunt aeque atque ea quae secuntur, cf. Charis. p. 175, 26 sq.

[2] Mirum sane est quod apud Dositheum p. 426, 4—8 eadem legimus quae apud Diomedem p. 310, 31—301, 2, ita ut uterque cum praecedentibus unum tantum illud enuntiatum conectat; sed hoc casui non dare non possumus.

[3] Primum enuntiatum in describendo Donatum mutasse et sententiam peruertisse crediderim.

Diom. p. 407, 8—10 = Don. p. 385, 17—21
„ „ 406, 4—18 = „ „ 385, 21—386, 6.

In hac particula describenda neuter fontis ordinem seruasse uidetur. Diomedes etiam altero libro usus est, ex quo nonnulla inspersit. Restat ut de uno loco loquamur (Diom. p. 404, 26—32 = Don. p. 385, 12—17), ubi de aduerbiis primae positionis et deriuatiuis agitur atque exponitur e quibus partibus orationis aduerbia nascantur. Enumerationis ordinem Donatus meliorem praebet. Hanc particulam a Scauro originem ducere non tam inde collegerim, quod ea quae apud Diomedem his uerbis praecedunt illius grammatici sunt — nam sententiarum conexus non obseruatur —, sed id ea re efficitur, quod nomen proprium et nomen appellatiuum et uocabulum discernuntur. Cuius distinctionis in reliquo Donati capite et eis quae apud Diomedem huic respondent nusquam mentio fit, immo in nulla particula quam Anonymo ipsi tribuimus — Scauri hanc doctrinam peculiarem esse supra monui (p. 7) [1]. Itaque hoc Scauri fragmentum in communi fonte Diomedem et Donatum repperisse sumendum est.

Donati undecimum caput est De participio p. 387, 18—388, 26. Diomedes non Anonymum sed alterum fontem et quidem, ni fallor, eundem quem in capite de uerbo adiit, qua de causa pauca apud eum cum Donati uerbis consentiunt:

Diom. p. 401, 26—402, 2 = Don. p. 387, 28—388, 2
„ „ 402, 23—29 = „ „ 388, 12. 13 + 21. 22
„ „ 403, 7. 8 = „ „ 388, 22, 23.

Duodecimum Donati caput est De coniunctione p. 388, 28—389, 17. Diomedes maximam partem e Palaemonis et Cominiani libris hausit. Cum Donato haec particula congruit:

Diom. p. 416, 24—27 = Don. p. 389, 13—17.

Decimum tertium caput Donati est De praepositione

---

[1] Kummrow l. l. p. 6 hanc particulam inter fragmenta Scauri recepit. Meyer l. l. p. 19 tantum uerba Diom. p. 403, 20—26 Scauro uindicat, nam 'et inter se cohaerent et Diomedis propria apud alium grammaticum non recurrunt. Nam inde a 403, 26 cum Cominiani doctrina, maximam etiam partem (180, 29) cum uerbis consentit Diomedes, ita ut haec Scauro non sint tribuenda'. De consensu cum Cominiano confer infra p. 49 sqq. Argumentum e doctrina petitum, quo ego utor, V. D. non obseruauit.

p. 389, 19—391, 24. Diomedes primam capitis partem ex eodem ac Donatus fonte sumpsit:

Diom. p. 408, 27—409, 4 = Don. p. 389, 20—31
„ „ 409, 4. 5 = „ „ 390, 1
„ „ 409, 5—8 = „ „ 391, 20—24
„ „ 409, 9—12 = „ „ 391, 16—20
„ „ 409, 13. 14 = „ „ 391, 12—14
„ „ 409, 15—19 = „ „ 391, 14—16.

Quae secuntur e Cominiano Diomedes hausit (cf. Charis. p. 230).

Caput decimum quartum Donati est De interiectione p. 391, 26—392, 3, quocum duo enuntiata Diomedis consentiunt:

Diom. p. 419, 14. 15 = Don. p. 391, 30—392, 2
„ „ 419, 19—21 = „ „ 391, 28—30.

Quatenus mihi proposueram, contuli quibus partibus Diomedes et Donatus inter se concinant. Omnes illas particulas ex uno eodemque fonte, i. e. e recensione Anonymi, haustas esse non uno loco mihi sumpsi, quo breuius et apertius disputare liceret. Quam sententiam ueram esse iam nunc demonstrandum est. Simili disserendi ratione et simili dictione illas particulas conscriptas esse quae Diomedi et Donato communes sunt, hoc argumento non utor. Nimis lubricum id esse adparet. Atque re uera eodem argumento usi alii conplura capita, quae ego Anonymo tribuo, alii auctori uindicauerunt. Neque minus alterum repudio non solum illis capitibus nusquam doceri quae inter se pugnent, sed etiam doctrinam alterius capitis saepe ita conformatam esse, ut alterius respondeat. Nam hac quoque re non demonstratur ex uno libro eas particulas sumptas esse. Idem etiam tum efficitur, cum diuersi grammatici eiusdem auctoris doctrinae se adplicauerunt. Etsi igitur ex hac parte demonstrari non potest quod mihi propositum est, tamen etiam contrarium inde non effici contendo. Aliam uiam confirmationis ingredior. Ac primum quidem quattuor capita inuenimus (de littera, de syllaba, de accentibus, de nomine), quibus a Diomede et Donato paucis uerbis exceptis plane eadem tradita sunt. Itaque id quidem certum est singula illa capita ab utroque ex eodem libro descripta esse. Nam diuersos eos fontes conpilauisse et quidem ita ut ex unoquoque eadem sumerent a similitudine ueri abhorret. Tum si in ipsa Donati uerba inquirimus, nusquam contaminationis ab ipso factae uestigia occurrunt. Ita-

que Donato maior quam pro grammatico istius aeui industria atque sollertia tribuenda esset, si conpluribus fontibus usus omnino euitasset bis de eadem re aut eundem aut diuersum in modum disserere. Quae si recte disputauimus, etiam ex hac parte euincitur Donatum singula capita ex uno fonte hausisse. Si igitur Donatum conpilasse uis, singula cum capita diuersis auctoribus debere sumas necesse est. Hoc uero rationi qua grammatici conpilatores usi sunt prorsus repugnat. Deinde demonstrare nobis contigit, si in uno aliquo capite Diomedes cum Donato partim concinat partim non concinat, utriusque generis particulas non ex eodem libro descriptas esse. Aut enim in eis quae apud Donatum recurrunt eadem docentur atque in reliquis aut diuersa. Itaque semper quae cum Donato congruunt proprio fonti deberi uidentur. Denique nonnullae particulae sunt, communes Diomedi et Donato, quae non ad eundem atque tota grammaticae materia auctorem referri possunt: duo Scauriana frustula et Remmianae artis fragmentum. Cum apud Donatum illorum grammaticorum notitia nusquam exstet, nisi ubi Diomedes quoque uerba eorum praebet, Donatum ipsum adisse libros eorum putare ratione uetamur. In communi fonte utrumque illas particulas inuenisse sumendum est. In hanc sententiam optime quadrat, quod aliis quoque argumentis nobis suadetur non ipsum Anonymi librum Diomedem Donatumque habuisse, sed exemplaria quae ex Anonymi libro retractato fluxerunt. A redactore illae particulae receptae sunt.

Argumentis prolatis euincitur uno tantum fonte Donatum in arte sua conscribenda usum esse, et omnia quae Diomedi et Donato communia sunt ex uno eodemque libro hausta esse. Communis illorum grammaticorum fons est Anonymi recensio.

Iam ad grammaticos qui ex altera recensione pendent me conuerto. Diuersis causis factum est, ut haec pars quaestionis intricata sit. Artis fragmentum quod codice Bobiensi seruatum nobis est incipit a capite de partibus orationis, sed de tribus tantum dictionibus doctrinam continet (de nomine, de pronomine, de uerbo). Dositheus, cum totam artem grammaticam amplectatur, de nomine illud solum caput exhibet quod supra tractaui. Quae praeterea, ut demonstrabo, in eius fonte de hac parte orationis exstabant describere omisit. Accedit alterum quod in posteriore artis parte, quae miserum in modum decur-

tata nunc est, plerumque non Anonymi sed aliorum grammaticorum libros adiit, in primis, ut conparatis Charisii uerbis elucet, Cominiani et Palaemonis. Eadem in Charisium cadunt. Hic quoque et mutilatus est et inde a capite de participio Anonymi artem neglexit. Itaque factum est, ut Charisio et Anonymo Bobiensi et Dositheo quattuor tantum capita communia sint. Ceterum cum Charisio partim Anonymus Bobiensis, partim Dositheus concinit. Sunt etiam pauca capita quae quamuis unus tantum ex his exhibeat tamen ad hunc fontem referenda sint. Haec deinceps tractabo.

Primum de eis capitibus agam quae apud Charisium, Anonymum Bobiensem, Dositheum exstant:

De oratione eiusque partibus tractant Charisius p. 152, 11—15, Anonymus Bobiensis p. 533, 2—5, Dositheus p. 389, 8—11. Omnes eodem modo quid sit oratio definiunt. Eius partes non plane eodem ordine usi enumerant. In fine capitis addunt Anonymus Bobiensis et Dositheus 'quibusdam uidetur et appellatio', quod enuntiatum Charisius non exhibet [1].

Caput De nomine supra satis tractaui.

De pronomine in uniuersum plane consentiunt inter se Charisii primus tractatus p. 157, 24—159, 35 et Anonymus Bobiensis p. 557, 4—561, 18 et Dositheus p. 401, 9—405, 23, quamuis alius alia omiserit uel mutauerit uel transposuerit. Ab eadem pronominis definitione [2] incipientes primum tractant quae huic parti orationis accidunt, atque haec quidem isdem uerbis. Tum 'pronomina ad aliquid' conmemorant. Deinde declinationes pronominum secuntur, primo loco finitorum, secundo infinitorum, tertio possessiuorum. In extremo capite de singulis quibusdam pronominibus agitur, uelut de pronomine nemo, quod

---

[1] Definitio orationis Scauriana est, cf. Diom. p. 300, 19; idem p. 300, 27 scripsit 'Scauro uidetur et appellatio'. Num Anonymus Scauri definitionem receperit, diiudicari nequit, cum Donatus definitionem non descripserit. Diomedis uerbis p. 300, 27 dubitatio mouetur. Nam e fragmento Scauri Diom. p. 320, 13—25 etiam 'uocabulum' inter partes orationis exspectamus.

[2] Vt apud Anonymum Bobiensem et Dositheum sic apud Charisium quoque legendum est 'minus quidem plene, idem tamen', nam sic codicis Neapolitani prima manus, supra scripto 'pene', sic exc. cod. Bern. 123 scribunt (cf. Hagen Anecd. Helu. p. 133, 31).

Dositheus omisit. Ceterum hoc in primis loco apud omnes turbatum est. Sed in uniuersum illos grammaticos ita consentire, ut de communi fonte dubitari non possit, monuisse satis habeo. Quatenus singulo quoque loco fontem aut accurate descripserint aut non, inquirere a nostro consilio alienum est. Deinde indicabo quae ex consensu cum hac recensione apud Diomedem Anonymo uindicanda sunt. Eius modi sunt quae Diomedes de pronominibus ego et tu disserit (p. 329, 32—330, 9), cf. Charis. p. 158, 3—15; Anon. Bob. p. 557, 17—28; Dosith. p. 402, 6—20; item de forma 'ipsum' generis neutrius (p. 330, 22—27), cf. Charis. p. 158, 17—19; Anon. Bob. p. 558, 2—5; Dosith. p. 403, 5—7. Praeterea Diom. p. 332, 13—333, 24, fortasse etiam 24—26, ex Anonymo hausta esse ordine enumerationis demonstratur, qui idem est atque apud Charis. p. 158, 21—159, 16; Anon. Bob. p. 558, 10—560, 33; Dosith. p. 403, 10—404, 23. Verba Diom. p. 333, 21 apud Charis. p. 159, 12 et Anon. Bob. p. 560, 15 recurrere in primis notatu dignum est. Deinde ad Anonymum referenda sunt uerba Diomedis p. 331, 13—15 (cf. Charis. p. 159, 17—20; Anon. Bob. p. 561, 4—7; Dosith. p. 404, 25—28), p. 332, 7 (= Don. p. 380, 32; cf. Dosith. p. 405, 11), p. 333, 27—35 (cf. Charis. p. 159, 26—35; Anon. Bob. p. 561, 11—18). — Vt euincerem Charisium et Anonymum Bobiensem et Dositheum ex Anonymi recensione descripsisse quae de pronomine tradunt, accurate eos cum Donato consentire demonstrandum mihi esset. Sed de accidentibus, quam partem Donatus solam recepit, illi tam breuiter disserunt, ut firmam conparationi materiam non praebeant[1]. Communem eorum fontem contraxisse inde concluserim, quod inter accidentia et conparationem omnes tres sine ullo sententiarum conexu pronomina 'ad aliquid' conmemorant (Charis. p. 158, 1. 2; Anon. Bob. p. 557, 15—17; Dosith. p. 402, 3—5; Don. p. 380, 3). Pronominum declinationes, in quibus nostri in primis uersantur, Donatus, ut qui breuitati studeret, describere omisit. Ita quomodo factum

[1] qualitatem finitam discernunt Charis. p. 157, 26; Anon. Bob. p. 557, 16; Dosith. p. 401, 11; item Don. p. 379, 26. — de genere Charis. p. 157, 28—30; Anon. Bob. p. 557, 9. 10; Dosith. p. 401, 14. 15; cf. Don. p. 380, 10—12. — de numero Charis. p. 157, 31—33; Anon. Bob. p. 557, 11—13; Dosith. p. 402, 1. 2; cf. Don. p. 380, 13—15.

sit, ut accuratiorem consensum inter illos et Donatum non obseruemus, explicatur. Quae inter se pugnent non inueniuntur. Etsi igitur demonstrari non potest caput de pronomine quod illi tres exhibent ab eodem auctore oriundum esse atque Donati illud, tamen ualde est ueri simile.

Denique Charisius (p. 164, 13—168, 33) et Anonymus Bobiensis (p. 561, 19—563, 5) et Dositheus (p. 408, 2—12) De uerbo agunt. Principalem fontem et apud Charisium et apud Anonymum Bobiensem eundem deprehendimus. Cum uero et Dositheus et Donatus ab illis discrepent, ad Anonymi recensionem quae Charisio et Anonymo Bobiensi communia sunt referre uetamur. Mea quidem sententia, quae est mutilatio capitis Dositheani, in hac parte quaestio ad liquidum perduci nequit[1].

---

[1] Quae de Charisii et Anonymi Bobiensis capitibus eruerim hoc loco breuiter exponam. In Charisii capite de uerbo quinque grammaticorum uestigia occurrunt. Iam Schottmueller (de C. Plini Sec. libris gramm. p. 17 et 18) rectissime monuit cauendum esse, ne e quinque diuersis libris quinque illas commentatiunculas congessisse Charisium putemus. Si caput nostrum perlustramus, initio definitionem uerbi et accidentium enumerationem deprehendimus; deinde tractantur primo loco qualitas, altero genus, secuntur de genere alter et tertius tractatus, tertio figura, quarto numeri, quinto modi, sexto tempora, sequitur altera expositio de temporibus, septimo persona; denique de generibus uerbi, quae hoc loco significationes appellantur, quartum agitur. Dubitari mihi non posse uidetur, quin ex altero libro quae p. 164, 13—168, 18, ex altero quae p. 168, 19—33 leguntur Charisius hauserit. Posterioris particulae cum Anonymo Diomedis cognatio quaedam obseruatur conlatis Charis. p. 168, 29—31 et Diom. p. 337, 25—28; ceterum eam neglegere possumus. Priorem capitis partem conpilatam esse in promptu est, ita quidem ut in fontem primarium, quem p. 164, 13—26; 167, 23—168, 4; 168, 13—18 habemus, a redactore quodam de generibus alter (p. 164, 27—165, 32) et tertius (p. 165, 33—167, 22) et alter de temporibus (p. 168, 5—13) tractatus integri inserti sint. Alterum de generibus tractatum unius auctoris esse demonstratur ea re, quod genera uerbi semper adhibita uoce 'intellegitur' definiuntur (p. 164, 28; 165, 4. 12. 19). Quae cum ita sint prioris partis fons primarius Cominiani ars esse non potest, id quod Schottmueller l. l. p. 14 et Kummrow l. l. sent. contr. I opinati sunt, ut cuius uerba nusquam redactoris uestigia praebeant. — Etiam apud Anonymum Bobiensem non unius grammatici doctrinam reperimus. Quae p. 561, 19—22 leguntur non ad eundum atque sequentia uerba auctorem referri possunt. Quae si ab eodem grammatico oriunda essent, non de 'formis' uerbi ageretur prius quam definitio pro-

Deinde tractabo capita quae apud Charisium et Dositheum exstant. Caput De littera Charisius (p. 7, 7—11, 7) et Dosi-

posita esset. Tum 'formae' inter accidentia (p. 561, 25) non nominantur. Denique uerba p. 563, 4. 5, quae eidem atque definitio fonti tribuenda esse uidentur, non in eodem libro atque illa p. 561, 19—22 locum habent. Inde a p. 561, 23 disputatio bene procedit. Proferuntur definitio et accidentia. Ex his primum qualitas tractatur (p. 561, 25—32). Tum genera enumerantur (p. 561, 32. 33). Exspectamus fore ut singula deinceps genera definiantur. Sed in particula quae sequitur (p. 551, 33—562, 18) e litteris quibus genera terminantur ordinationis ratio sumitur. Non ex eodem fonte fluxisse uerba quae ad extremitates, quas dicunt grammatici, spectant atque ea quae definitiones generum continent, p. 362, 8 perspicitur. Nam uerba deponentia in o, ut ueneo, hoc loco conmemoranda non erant. Itaque sumendum est definitiones generum e fonte primario, cuius enumeratio p. 561, 32. 33 quoque est, haustas esse, quibuscum contaminata est expositio secundum extremitates ordinata. Denique num p. 562, 21—29 pristina forma seruata sit ualde dubito. Si igitur apud Anonymum Bobiensem aeque ac Charisium conplurium grammaticorum uestigia occurrunt, hoc interest, quod apud hunc diuersorum tractatus integri congesti, apud illum contaminati sunt. — Iam, si nostrorum grammaticorum uerba conferimus, haec statuenda sunt. Primum utriusque fontes primarii consentiunt inter se:

Charis.	p.	164, 14—21	= Anon.	Bob.	p.	561, 25—32.
„	„	167, 23—168, 1	= „	„	„	562, 19—20.
„	„	168, 13—18	= „	„	„	563, 2—5.

(Charis. p. 168, 14 sq. sic scribendum est: 'prima est [quae loquitur id est] a qua dicitur, ut lego legimus; secunda est [de qua dicitur et] ad quam [personam] dicitur, ut dicis dicitis; tertia est de qua dicitur [et ad quam personam dicitur], ut dixit dixerunt'; similiter Uhlig ad Dion. Thr. p. 64). Denique Charisius p. 168, 2. 3 septem modos enumerat, totidem Anonymus Bobiensis p. 562, 34—37 exhibet. Tum definiuntur genera uerbi apud Anonymum Bobiensem isdem uerbis atque apud eum auctorem quem Charisius p. 164, 27—165, 32 tradidit:

Charis.	p.	164, 28. 29	= Anon.	Bob.	p.	561, 25
„	„	165, 1	= „	„	„	561, 36
„	„	165, 5—7+11	= „	„	„	562, 10—13
„	„	165, 12—14	= „	„	„	561, 37—39
„	„	165, 19—21+25—27	= „	„	„	502, 5—10

Formula quam postremo loco Anonymus Bobiensis exhibet apud Charisium p. 165, 5—7 recurrit. Sed consensus qui inter nostros in hac parte obseruatur eius modi est, ut non ex eodem libro illa uerba eos descripsisse adpareat. Si ultra conaremur per ratiocinationes progredi, in lubrico uersaremur. Dosithei caput decurtatum esse adparet, siue id librariorum incuria siue codicis mutilatione factum est. Desunt definitio uerbi, enu-

theus (p. 381, 6—386, 7), qui est inter eos consensus accuratissimus [1], aperte ex eodem fonte hauserunt. Cum in priore capitis parte (Charis. p. 7, 7—8, 20 = Dosith. p. 381, 6—382, 8) eadem doceantur quae in Donati capite de littera et in eis particulis Diomedis quae huic respondent exstant, illorum communem fontem Anonymi recensionem esse sponte elucet. Quae posteriore parte capitis continentur (Charis. p. 9, 1—11, 7 = Dosith. p. 382, 9—386, 7) apud Diomedem (p. 424 sqq.) recurrunt. Diomedes a Charisio et Dositheo ea in re recedit, quod litteras ordine alphabetico enumerat et tractat, cum illi eas secundum potestates disponant. Attamen in singularum litterarum ui notanda tantopere Diomedes et Dositheus inter se consentiunt, ut dubitari nequeat, quin ex eodem grammatico pendeant. Haec sententia duobus praecipue argumentis firmatur. Cum plerumque in exemplis adferendis 'ut' particula adhibeatur, ter apud Diomedem, bis apud Dositheum 'tamquam' occurrit: Diom. p. 424, 19; Diom. p. 425, 3 = Dosith. p. 383, 6; Diom. p. 425, 7 = Dosith. p. 383, 10. Iidem bis singulari quodam modo uoce 'propinquus' utuntur: Diom. p. 424, 6 = Dosith. p. 384, 11 'b littera . . . propinqua p litterae, qua saepe mutatur'; Dosith. p. 384, 16 legimus 'd littera . . . propinqua litteris consonantibus his', Diomedis codices loco qui huic respondet praebent 'ut qua litteris', corrigendum est 'ut * : propinqua litteris' etc. Itaque ut Charisium et Dositheum sic etiam Diomedem hanc partem Anonymo debere, Donatum eam, cum nihil noui tradat, omisisse iudicabimus. Pauca apud Charisium le-

---

meratio accidentium, expositio de numeris figuris personis. Num unius auctoris doctrinam secutus sit, definiri posse nego.

[1] Itaque Dosithei auxilio nixi non solum lacunam quae post p. 9, 16 in codice Charisii membranae mutilatione facta est explere, sed etiam initium capitis restituere possumus. Apud Dositheum primo loco definitio litterae, secundo elementi, tertio quae litterae accidunt proponuntur. Postremum apud Charisium quoque exstitisse res ipsa flagitat. Definitionem litterae Charisium capiti praefixisse non possumus non opinari. Quae qualis fuerit facile demonstratur. In codice Neapolitano litterae a quibus secundus uersus capitis incipit seruatae sunt: solu, quae aliter suppleri non possunt, nisi si uerbum 'resoluitur' restituimus. Quae si recte disputauimus, apud Charisium eadem elementi definitio exstitit, quam Dositheus praebet, ergo etiam eadem litterae definitio.

guntur quae Dositheus non exhibet. Haec Charisium ex Anonymo seruasse, Dositheum uel id exemplar huius recensionis quo utebatur omisisse ea re probatur, quod eadem a Donato et Diomede tractantur (Charis. p. 7, 11—8, 1 cf. Diom. p. 422, 23 = Don. p. 367, 20; Charis. p. 8, 6—12 cf. Diom. p. 423, 2 = Don. p. 368, 1; Charis. p. 8, 17—19 cf. Diom. p. 423, 13 = Don. p. 368, 8).

In conscribendis capitibus quarto De syllaba et quinto De communi syllaba Charisius binos commentarios adhibuit, quorum priores cum Dositheo accurate congruunt (Charis. p. 11, 9—12, 3 = Dosith. p. 386, 9—387, 8; Charis. p. 13, 17—14, 9 = Dosith. p. 387, 10—388, 15). Haec quoque capita[1] ut ad Anonymi recensionem referamus ea re nobis suadetur, quod in uniuersum de syllaba et de communi syllaba simillima a Diomede et Donato docentur. Nam esse ubi Diomedes et Donatus a Charisio et Dositheo discrepent non tantum ualebit, ut de sententia nostra demoueamur, cum supra demonstrauerim a grammaticis qui artem Anonymi retractauerunt multa mutata esse.

Denique De dictione Charisius (p. 16, 29—17, 5) et Dositheus (p. 388, 17—389, 6) eadem uerba faciunt. Quamuis hoc caput apud Donatum non exstet, tamen id Anonymo uindicare non dubito. Nam apud Diomedem (p. 436, 10—17) idem recurrit. Meminerimus Donatum breuitatis studio conmotum multa omisisse, ita ut hoc quoque caput ab eo ut minus necessarium neglectum esse ueri sit simile.

Tertio loco de eis capitibus agam quae a Charisio et Anonymo Bobiensi tradita sunt.

Primum Charisii l. I. cap. XI. p. 31, 25—35, 17 cum Anonymo Bobiensi p. 548, 1—551, 7 consentit. In priore capitis parte conponuntur nomina quae semper singularia sunt secundum genera distributa item quae semper pluralia, in parte posteriore conplures classes nominum quae pluralem numerum non

---

[1] Initium capitis Dositheani de syllaba corruptum esse patet. Ea de re tantum dubitari potest, utrum id Dosithei fonti an ipsi an librariis culpae dandum sit. Charisius genuinam formam seruauit. — Postremum quod apud Charisium legitur enuntiatum Dositheus non praebet (Charis. p. 12, 1—3). Id eum omisisse demonstratur ea re, quod p. 388, 1 (= Charis. p. 13, 24) ipse eo respicit.

recipiunt. Haec apud utrumque grammaticum eodem tenore atque summo cum consensu exponuntur praeterquam quod in priore parte Anonymus Bobiensis fontem plenius descripsit. Totum caput[1] a Charisio et Anonymo Bobiensi aperte ex eodem fonte haustum est. Hanc recensionem Anonymi nostri esse probatur ea re, quod idem caput in recensione, qua Diomedes et Donatus utebantur, exstitit, ut supra exposui (p. 30)[2].

---

[1] Verba Anon. Bob. 549, 20—25, quae in margine codicis addita sunt, minime cum totius capitis tenore congruere in promptu est. Si enim e. g. aliquod nomen, quod inter 'semper pluralia' numeratur, singulari quoque numero usurpatur, uno exemplo plerumque e Vergilio uel Cicerone petito id inlustratur in hunc modum Charis. p. 33, 17. 18; 'opes; sed Vergilius libro primo ⟨601⟩ 'non opis est nostrae Dido'. De additamento quodam quod apud Charisium deprehendimus statim loquar.

[2] Paucis uerbis Schottmuelleri de hoc capite sententiam percenseamus necesse est, qui maximam partem id fortasse a Cominiano conscriptum, haud paucas Palaemonis obseruationes inmixtas esse putauit (l. l. p. 19). Num is cui maximam capitis partem Schottmueller tribuit Cominianus fuerit necne, de ea re hoc loco non disputabo; id examinandum est, num recte contenderit a Charisio nostrum caput contaminatum esse. Priorem capitis partem Palaemoni uindicari non posse recte V. D. iudicauit; in posteriore eidem tribuit, ni fallor, haec: Charis. p. 34, 15—18; 34, 22—27; 34, 28—35, 5; eam uidelicet ob causam, quod exempla adhibita particula 'uelut' proponuntur. Hoc argumentum idoneum esse ut interim concedam, non a Charisio Remmianas illas particulas cum alterius grammatici capite conmixtas esse conparatione Anonymi Bobiensis demonstratur (p. 550, 21—23; 25—33); immo cum 'quae mensura constant' Diomedes et Donatus quoque exhibeant (p. 328, 18—23; Don. p. 376, 29—31) ab ipso Anonymo istam conmixtionem factam esse coniciendum esset. Iam Anonymum nostrum, qui aliorum grammaticorum sine dubio usus est copiis, cur non Palaemonem quoque adhibuisse putemus? Sed tunc non de Charisii, sed de Anonymi fontibus quaestio est, id quod nunc nobis non proposuimus. Neque hoc Schottmueller uoluit. — Attamen si accurate quae grammatici tradunt conparamus, aliquanto longius procedere licet. Quae Charisius p. 35, 2—5 exhibet, ea apud reliquos non leguntur. Atque haec profecto Anonymi esse non possunt, cum et a ratione quae in hoc capite adhibita est talis obseruatio plane abhorreat et Anonymi uerba quae ad hanc rem spectant p. 34, 28 legantur. Palaemoni uindicanda sunt ex usu particulae 'uelut', atque coniungenda cum regula de nominibus quae et syllaba terminantur Charis. p. 28, 5—7. Nam quae p. 28, 7—11 leguntur Palaemonis non sunt, fortasse Plini. Hac obseruatione excepta totum caput de quo agimus Anonymi est, neque quidquam inde demonstratur, quod p. 34, 15

Quae De deminutiuis Charisius l. I. cap. XIII. p. 37, 9—19 scripsit apud Anonymum Bobiensem p. 551, 32—38 recurrunt, nisi quod hic extremam partem paulum contraxit. Hoc capite priore loco de nominibus quae hypocorismata non recipiunt agitur, posteriore de illis deminutiuis quae nominibus suis unde oriuntur non consonant. Plane isdem uerbis de his rebus disseritur in capite De nomine (Charis. p. 155, 13—21 = Anon. Bob. p. 535, 21—29; cf. supra p. 14 et 20). Differunt ea capita solo rerum ordine: quae hic priore loco tractantur, illic posteriore loco leguntur et uice uersa. Cum igitur haec capita ad uerbum usque consentiant, ut ad diuersos auctores ea referat nemo animum inducet. Charisium et Anonymum Bobiensem in eodem fonte utrumque caput inuenisse et solita diligentia descripsisse censebimus. Neque tamen ueri simile est Anonymum ipsum rem ita instituisse, ut bis isdem uerbis de isdem rebus loqueretur, sed id ei grammatico tribuendum est qui Anonymi artem retractauit.

De conparationibus tractatus quem priore loco Charisius l. I cap. XVI p. 112, 14—114, 29 posuit ab Anonymo Bobiensi p. 555, 30—557, 2 exhibetur, summo cum consensu[1]. Duobus locis Charisius pauca uerba e Romani libro petita inseruit (p. 114, 1—6 et 114, 25—28). Hoc quoque caput Charisium et Anonymum Bobiensem debere Anonymo nostro sumo simili ratione nixus atque in capite quod modo tractaui. Nam quae in nostro capite de adiectiuis in conparatione deficientibus docentur (Charis. p. 113, 8—19 = Anon. Bob. p. 556, 2—12)

---

et 23 'uelut' usurpatur. Apud Anon. Bob. p. 550, 21 particula omittitur, p. 550, 27 'ut' legimus, sicut Diom. p. 328, 19. Itaque non est cur uel Charisium uel librarios particulam 'uelut' intulisse negemur, ut qui antea Remmianos tractatus descripserint. Praeterea monendum est in commentario de conparationibus, ubi non magis de Palaemone cogitari licet, ter hanc particulam occurrere (Charis. p. 113, 14 = Anon. Bob. p. 556, 8; Charis. p. 114, 8 = Anon. Bob. p. 556, 25; Charis. p. 114, 10, ubi Anon. Bob. nullam particulam adhibet).

[1] Notandum est utrumque (Charis. p. 113, 25—28; Anon. Bob. p. 556, 19—21) eodem loco, ubi minime apta sunt, enuntiata quaedam exhibere, quae apud Palaemonem Charis. p. 187, 10—13 recurrunt. Haec igitur in communi Charisii et Anonymi Bobiensis fonte hoc loco legebantur, quo, olim ni fallor in margine posita, falso inlata sunt.

tantopere cum particula illa capitis De nomine (Charis. p. 156, 30—157, 3 = Anon. Bob. p. 536, 30—39) consentiunt, ut coniciendum sit diasceuastam expositionem de hac re ex illo capite petitam et paulum mutatam iterasse. Inde efficitur, ut totum caput recensioni Anonymi tribuendum sit[1].

Idem in caput VIII libri I Charisii (p. 17, 10—16) De generibus ualere uidetur, quod et ipsum, etsi Anonymi Bobiensis testimonio caremus, ex Anonymi recensione sumptum esse credo propter cognationem quae inter hoc et illud De nomine (p. 153, 8—20) intercedit. Maior enim differentia inter haec capita obseruatur, quam ut Charisium ex uno eodemque fontis capite utrumque descripsisse ueri simile sit; atque alii grammatico nostrum caput et illud uindicare consensu eorum uetamur.

Denique ex hoc fonte deriuata sunt Charisii libri I caput IX De numeris (cf. Charis. p. 153, 26. 27) et VII De casibus.

Eis ipsis quae postremo loco disseruimus disputatio ad ea capita traducta est quae, quamuis apud unum tantum ex tribus illis grammaticis exstent, tamen huic recensioni Anonymi tribuenda sunt.

Eius modi est tractatus secundus quem Charisius in capite De ablatiuo casu exhibet[2] (libri I caput XVIII p. 148, 14—150, 20). Nam disserendi ratione eadem utitur, qua Diomedes (p. 303, 31 sq.) et Donatus (p. 378, 3—379, 9), atque in uerbis maximam partem cum Diomede congruit. Donatus enim fontis uerba et contraxit et saepe mutauit[3]. Particulae illius de gene-

---

[1] Christ Philol. XVIII p. 138 sq. similiter utramque expositionem de conparationibus eidem auctori tribuit, quem Cominianum esse putauit. Kummrow l. l. p. 10 n. 18 scripsit: 'unus quisque qui hos locos accuratius contulerit doctrinam alterius ab alterius differre facile intelleget'. Equidem non inueni quibus utrumque ab eodem auctore scribi non potuisse demonstretur.

[2] Christ l. l. p. 127 Scauro uindicat hunc tractatum, cum eius nomen in exemplo positum sit (Charis. p. 149, 28 sq.). Quod argumentum cum per se infirmissimum est, tum propterea stare non potest, quia Scauri artem a Charisio exscriptam esse ne unum quidem certum est indicium.

[3] Plane diuersum in modum de hoc capite Kummrow l. l. p. 14. 15 iudicauit, qui ex altero fonte quae cum Donato consentiunt, ex altero quae cum Charisio, Diomedem hausisse putat. (Cum eis uerbis Diomedis

tiuo plurali in ium terminato, quam in communi fonte Diomedis et Donati a redactore ablatiuo in i subiunctam esse uidimus, apud Charisium uestigium nullum exstat.

---

quae cum aliis capitibus Charisii congruunt — fortasse omnia Palaemonis, ut supra (p. 29) dixi — nunc nobis res non est). Cuius sententiae unum argumentum protulit; cum enim 'in illis quae Diomedes cum Charisio communia habet nullum aliud uerbum terminandi occurrat nisi 'finiri', in iis quae Charisius non praebet semel modo uerbum finiendi Diomedes adhibet, saepe uero usus est uerbo 'terminandi' et 'exeundi". — Kummrow una in re grauiter errauit, quod eundem in modum atque grammaticorum nostrorum fontis quoque, quo usi sunt, uerba conparata fuisse sumpsit. Sed haec sententia stare non potest; atque inde efficitur, ut obseruationi illi minime tantum tribuendum sit, quantum primo obtutu uidetur. — Primum a Charisio omissa sunt uerba quae Diomedes p. 303, 32—35 et Donatus p. 378, 3—5 praebent. Haec fonti Charisii defuisse non posse ipsa re postulatur, quippe quibus totius capitis dispositio contineatur. Charisius ea omisit, cum de eadem re Cominiani uerba descripsisset (p. 147, 19—21), unde demonstratur uerbis quae in fonte Charisii legebantur, nil aliud praeceptum fuisse quam eis quae Cominianus exhibet. Cum igitur Cominiani uerba cum Diomedis Donatique consentiant, etiam de fonte Charisii idem statuendum est. Itaque hac in re Donati et Charisii fontes inter se consentiebant. — At multo magis deciperemur, si Donatum accurate fontis uerba descripsisse putaremus. — Apud Donatum desunt illa uerba quibus Diomedes (p. 303, 31. 32) et Charisius (p. 148, 15—17) caput incohant. Quin eadem in fonte Donati exstiterint, ut quibus summa totius disputationis indicetur, dubitari nequit. — Tum Donatum fontis uerba contraxisse demonstratur, si conferimus quae Donatus et quae Diomedes de genetiuo in ium terminato exhibent (p. 378, 20—30 = 306, 5—35). (Huius particulae terminum Kummrow falso p. 306, 27 constituit. Nam et uerbis Diom. p. 306, 27—35 de genetiuo plurali agitur et post haec demum alterum fontem adhibuisse Diomedem adparet conlatis Charisii uerbis p. 46, 6—11). Donatus haec tantum e communi fonte sumpsit:

Don. p. 378, 20—22 = Diom. p. 306, 25
„ „ 378, 22—23 = „ „ 306, 5
„ „ 378, 24—25 = „ „ 306, 8—10
„ „ 378, 25—26 = „ „ 306, 12+14—15
„ „ 378, 27—28 = „ „ 306, 17+22
„ „ 378, 28—29 = „ „ 306, 23—24
„ „ 378, 30 = „ „ 306, 25—26.

Quae cum ita sint, etiam reliqua Donatum contraxisse ueri est simile. Neque temere me egisse puto, cum Donatum ubique nominatiuum accusatiuum uocatiuum plurales omisisse conicerem (p. 29 n. 2). — Accedit alterum

E capitibus quae Dositheus solus seruauit illud De accentibus (p. 377, 6—380, 5) propter accuratissimum consensum cum Diomede et Donato Anonymo uindicandum est:

---

quod Donatus dictionem et artis uocabula quae in fonte eius usurpata erant mutauit et ad certas quasdam quas ipse adamauerat formulas reuocauit. Hoc recte me statuisse probatur conlatis eis quae Diomedes (p. 347, 3—36) et Donatus (p. 382, 10—34) de uerborum coniugationibus tradunt. Donatus semper hac formula utitur: 'prima est quae indicatiuo modo tempore praesenti . . . uerbo actiuo et neutrali a productam habet ante nouissimam syllabam . . . futurum tempus in bo et bor syllabam mittit . . .' Sic uerbum 'habet' quinquies occurrit (Don. p. 382, 12. 17. 22. 24. 33), uerbum 'mittit' quater (p. 382, 15. 19. 26. 29); semel tantum 'exire' usurpatur (p. 382, 31). Diomedes contra ter utitur uerbo 'terminandi' (p. 347, 4. 9. 17), quater 'habendi' (p. 347, 6. 14. 27. 30), quater 'finiendi' (p. 347, 12. 16. 25. 32); nunquam 'mittendi'. Inde probatur uerbum 'mittendi' fortasse semel uel bis in fonte Donati exstitisse, sed ubique ipsum id posuisse, partim loco aliorum; atque communem Diomedis et Donati fontem non uniformitatem sed uarietatem dictionis adpetiuisse. — Eiusdem rei unum quidem luculentum in nostro capite exemplum exstat. Quae singulis catholicis repugnant profert Donatus hac formula usus: 'contra hanc regulam declinantur' uel 'iuuenimus', p. 378, 8. 14 (= Diom. p. 305, 24). 33. Diomedes eandem dictionem etiam p. 306, 27 adhibet. Sed Diom. p. 306, 27 (= Don. p. 378, 33) legimus 'pauca admodum normae suae dissentiunt', quae uerba Diomedem fonti debere demonstratione non eget. Donatus solitam formulam loco elegantioris dictionis posuit. — Deinde uideamus, qui sit loquendi usus in particula de genetiuo plurali. Verbo 'terminandi' utitur Diomedes ter, totiens Donatus (p. 306, 10 = 378, 24; 306, 29 = 378, 27; 306, 18; 378, 22), uerbo 'exeundi' Diomedes quinquies, Donatus semel (Diom. p. 306, 5 = Don. p. 378, 23; Diom. p. 306, 7. 14. 17. 20), uerbo 'finiendi' uterque semel (Diom. p. 306, 15 = Don. p. 378, 26), item uerbo 'proferendi' (Diom. p. 306, 24 = Don. p. 378, 29). Itaque hic quoque Diomedis et Donati fontem communem nequaquam intra pauca artis uocabula se continuisse elucet. — Si igitur Donatus semper formula 'quaecunque nomina fuerint terminata . . . in . . . syllabam mittunt' utitur, minime putabimus hoc etiam in eius fonte factum esse; atque ex similitudine eorum quae supra de particula De coniugationibus statuimus uocabulum 'mittendi' a Donato ipso inlatum esse iudicabimus. — Cum igitur Donatum et fontis uerba contraxisse et propria artis uocabula mutasse demonstrauerimus, non tanta differentia statuenda est inter illas particulas Diomedis quae cum Charisii uerbis consentiunt et fontem Donati. Itaque credo Diomedem et ea quae cum Charisii capite de ablatiuo et quae cum Donato communia habet ex eodem libro, e recensione Anonymi, hausisse. A grammatico

Dosith.		Diom.		Don.
Dosith. p. 377, 11—378, 3	=	Diom. p. 431, 10—14	=	Don. p. 371, 3—6
„ „ 378, 3—15	=	„ „ 431, 14—34	=	„ „ 371, 8—22
„ „ 379, 1—7	=	„ „ 433, 4—14	=	„ „ 371, 27—30
„ „ 379, 8—11	=	„ „ 434, 1—5	=	„ „ 371, 31—372, 1
„ „ 379, 11. 12	=	„ „ 434, 6		
„ „ 379, 12. 13	=	„ „ 435, 20. 21	=	„ „ 372, 12. 13
„ „ 379, 13—380, 5	=	„ „ 434, 36—435, 20	=	„ „ 372, 1—12

Quae de uoce apud Dositheum (p. 381, 2—4) legimus ita cum Donato congruunt (p. 367, 5—7) (Diomedem genuinam fontis formam non seruasse suspicio est), ut haec quoque Anonymo eum debere certum sit.

Haec sunt quae certis indiciis nixus ad Anonymum referre possim. In aliis capitibus quae Dositheus consentiente partim Diomede exhibet adeo res lubrica est, ut manum iis abstinere malim.

Restat ut ex una parte quod inquisitione nostra effectum est confirmemus. In illis capitibus quae ad anonymum hunc fontem rettuli nomen auctoris nusquam occurrit. Attamen quaerendum erit, num re uera ad nullum artium scriptorum quos grammatici laudant hic liber referri possit. Ex illorum numero, cum Palaemon et Scaurus propter diuersam et dictionem et doctrinam in quaestionem non ueniant, de Cominiano solo cogitari potest. Eius fragmenta et doctrina et dictione cum particulis quas Anonymo uindicauimus congruere negari nequit; atque e numero capitum quae nos ad hunc fontem referenda esse statuimus non nulla ab aliis Cominiano tributa sunt[1]. Certis argumentis illi uiri docti nixi non sunt, sed Cominiani nomini haec capita addixerunt propter similem scribendi rationem et quia ex

qui hanc recensionem instituit modo haec modo illa artis uocabula adhibebantur, sic ut apud Diomedem res se habet. Diomedis uerba p. 303, 36 'quaecunque nomina genere masculino et feminino ablatiuo casu singulari a littera fuerint terminata' e Donati fonte petita esse uoluit Kummrow. At Diom. p. 304, 27 legimus 'quaecunque nomina . . finiuntur' et p. 305, 9 'nomina quae . . . fuerint terminata', ubi reliqua uerba accurate cum Charisio consentiunt. Ergo Diomedis fons non tantopere formulis inhaerebat quanto Charisii.

[1] Schottmueller ad Cominianum rettulit Char. l. I capp. XI. XVI (prior comm.). l. II cap. VII (primus comm.), Christ Anon. Bob. capp. de nomine (p. 533—534, 31 + 535, 9—537, 26), de conparatione (p. 555, 30—557, 2), de pronomine (p. 537, 3—561, 18) et capita Charisii quae his respondent.

auctoribus quos laudat et quos praecipue in usum uocauit Charisius, illi soli tribui possunt[1]. Cum uero fons ex quo grammatici illa capita hauserunt uetustioris artis recensio sit, ita ut diasceuastam conplurium auctorum copias conpilasse cogitari non possit, sic rem diiudicabimus, ut utrum artem illam Cominianus conscripserit necne inquiramus. Si non, etiam efficietur, ut illa capita, de quibus quaestio est, ei tribuenda non sint. Iam artem illam quam restituimus Cominiani non esse facile ea re demonstratur, quod non semel de eadem materia et artis anonymae et Cominiani caput in usum uocatum est ab eodem auctore. Primum in capite de ablatiuo casu Charisius (l. I cap. XVIII) priore loco Cominianum posteriore Anonymum exscripsit. Tum Diomedes de coniugationibus uerborum p. 346, 31—347, 2 et p. 347, 37 sq. Cominiani uestigia pressit (cf. Charis. l. II. cap. XI. p. 175 sq.), p. 346, 3—36 Anonymum secutus est (cf. Don. p. 382, 10—34). Denique in capite de praepositione Diomedes p. 408, 30—409, 2 Anonymo auctore idem tractat (cf. Don. p. 389, 24—29) quod p. 409, 24—29 Cominianum secutus (cf. Charis. p. 230, 6—9). Itaque demonstratum est quod demonstrandum erat etiam Cominianum nostram artem non conposuisse. Eius auctor re uera Anonymus est.

Iam animaduertendum est quantopere Anonymus et Cominianus congruant. In primis in capite de praepositione id elucet. Conpares haec:

Comin. ap. Charis. p. 230, 6—9	Comin. ap. Diom. p. 409, 24—29	Anon. ap. Diom. p. 408, 30—409, 2	Anon. ap. Don. p. 389, 24—29
praepositiones aut casibus seruiunt aut loquellis.	praepositiones aut casibus tantummodo seruiunt aut solis loquellis aut utrisque communiter.	praepositiones tam casibus seruiunt quam loquellis aut loquellis et casibus, coniunguntur enim aut separantur aut separantur et coniunguntur.	praepositiones aut casibus seruiunt aut loquellis aut casibus et loquellis. aeque aut coniunguntur aut separantur aut et coniunguntur et separantur.
quae casibus seruiunt, apud penes, apud nos penes te.	casibus tantum seruiunt, ut apud penes, sunt aliae quae harum inueniuntur exemplo.		

[1] Cf. Christ. Philol. XVIII p. 139.

oquellis con di re se, ut lcongredior diduco refero secedo.	loquellis tantum iunguntur, ut am con di dis se re au, ut amplector congredior diduco distraho separo refero aufero.	coniunguntur, ut di dis diduco distraho;	coniunguntur, ut di dis re se am con; dicimus enim diduco distraho recipio secubo amplector congredior.
		separantur, ut apud penes;	separantur, ut apud penes;
ceterae praepositiones et uerbis sic cohaerent ut casibus, ut per, perfer per hunc, ad, admoue ad urbem.	ceterae praepositiones et uerbis cohaerent et casibus, ut per, perfer per hunc, ad, admoue ad urbem.	coniunguntur et separantur ceterae omnes.	coniunguntur et separantur ceterae omnes.

Non solum eadem docent Anonymus et Cominianus, sed etiam easdem fere sententias exhibent. Eiusdem rei alterum exemplum proponam:

Comin. apud. Charis. p. 180, 14—19:	Diom. p. 401, 26—402, 2:	Don. p. 387, 28—388, 2:
participia autem trahuntur a uerbo actiuo duo, praesentis temporis et futuri, ut scribens scripturus; a passiuo duo, praeteriti temporis et futuri, ut scriptus scribendus; a neutrali duo, praesentis temporis et futuri, ut sedens sessurus;	participia trahuntur a uerbo actiuo duo, praesentis temporis et futuri, ut docens docturus; item a passiuo duo, praeteriti temporis et futuri, ut doctus docendus; a neutro duo, praesentis temporis et futuri, ut currens cursurus, interdum tria, cum declinatio passiua miscetur, ut gaudens gauisus gauisurus; a deponenti tria,	ueniunt enim participia a uerbo actiuo duo, praesentis temporis et futuri, ut legens lecturus; a passiuo duo, praeteriti temporis et futuri, ut legens legendus; a neutro duo, sicut ab actiuo, praesentis temporis et futuri, ut stans staturus;
(u. 18) a deponenti tria, praesens praeteritum et futurum,		a deponenti tria, praesentis praeteriti et futuri,
ut luctans luctatus luctaturus.	ut luctans luctatus luctaturus, interdum quattuor, ut sequens secutus secuturus sequendus; a communi semper quattuor, secundum formam quidem actiuam prae-	ut luctans luctatus luctaturus;
(u. 17) a communi quattuor, praesens praeteritum et duo futura, ut uadans uada-		a communi quattuor, praesentis praeteriti et duo futura, ut criminans cri-

turus uadatus uadandus.	sentis temporis et futuri, ut criminans criminaturus, secundum autem passiuam formam praeteriti temporis et futuri, ut criminatus criminandus.	minatus criminaturus criminandus.

Diomedes et Donatus Anonymum secuti ea in re a Cominiano recedunt, quod deponens communi praeponunt, cum ille ordine inuerso utatur.

Quod Cominianus et Anonymus saepe mirum quantum consentiunt, id ex usu eiusdem fontis explicabimus. Si igitur apud Diomedem et Donatum quaedam inueniuntur, quae cum Cominiani uerbis congruant, Donatum Anonymum esse secutum putabimus; utrum Diomedes Anonymum an Cominianum exscripserit, singulis quibusque locis examinandum est. Hanc rationem, cum supra quae apud Diomedem Anonymo uindicanda essent definirem, secutus sum. Singula pertractari non opus esse putaui.

Nomen grammatici cuius artem restituere conatus sum oblitteratum, liber uelut publica res facta est. Atque fuit haec causa, cur nomen traditum non sit. Duas recensiones artem anonymam expertam esse ipsa inquisitione nostra deteximus. Plures quoque exstitisse non mera suspicio est. Habemus tertiae epitomen, quae Aspri nomine inscripta codicibus tradita est[1] (GL. V. p. 547—554). — Expositionem de artis elementis, quae eruditione minus egere uidebatur, ex illius artis retractatis exemplaribus grammatici conpilatores saeculi quarti sumpserunt. — Donatus cum artem illam conscriberet quae posterioribus saeculis quasi canon habebatur, nil nisi Anonymi recensionem in nouam formam redegit. His omnibus causis demonstratur Anonymi librum tunc temporis praecipue in scholis usitatum fuisse. Huic usui illum librum aptissimum fuisse propter simplicem et perspicuam rationem qua res tractantur atque emendatam et

[1] Accuratius hanc rem tractare mihi non licet. Conferas caput De nomine (p. 549, 22—550, 23) cum grammaticorum quos tractaui expositione. Consensus inter hunc et illos neminem fugiet. Pseudo-Asprum non e grammaticis quos habemus hausisse probatur, si inspicimus ea quae de septimo casu disserit (p. 550, 15—19). Haec apud alium non leguntur.

elegantem doctrinam quae erroribus nimiae eruditionis caret hodie quoque intellegimus.

Quo tempore auctor huius artis uixerit, quo tempore recensiones illae ortae sint, nisi uagis, ut solet in grammaticis Latinis, finibus circumscribi non potest. Donatus teste Hieronymo anno p. C. 354 floruit. Faciamus illo circiter anno Donati artem conscriptam esse, redactorem sex lustris antea uixisse, totidem ante hunc Anonymum, ueri simile est sub finem saeculi tertii artem anonymam conpositam esse — eodem fere tempore quo Cominianus quoque uixit. Hoc optime in eam rem quadrat, quod utriusque liber simillima ratione conscriptus est.

In fine dissertationis denique paucis mihi uerbis exponere liceat, quo consilio ductus ego hanc quaestionem instituerim. Omnium fere uirorum doctorum sententiae ea in re congruunt, quod Remmium Palaemonem artis formam a Graecis grammaticis oriundam linguae Latinae adaptasse et posteriores auctores qui hanc materiam tractauerunt omnes Remmii uestigiis innixos esse putant. Principem eum inter grammaticos Latinos locum obtinuisse ut demonstremus, non sufficiunt testimonia quibus expressis uerbis de eo memoria fit. Iam apud grammaticos conpilatores saeculi quarti magnum fragmentorum numerum inuenimus quae 'Palaemonis' nomini inscribuntur. Quominus autem his fragmentis usi recte illud nos statuisse probemus, conpluribus causis inpedimur. Multa esse uidentur quibus haec grammatico, qui Tiberio Claudioque imperatoribus floruit, tribuere aperte uetemur. Praeterea non solum et quae Palaemonis non esse uidentur illius fragmentis intermixta sunt et saepe in eis quae Palaemonis esse uidentur propriam eius dictionem non reperimus, sed etiam, ubi de una aliqua materia Palaemonis expositio a duobus uel pluribus grammaticis nobis tradita est, nonnunquam et uerbis et dispositione tantopere quae singuli exhibent inter se discrepant, ut genuina forma qualis fuerit eruere difficillimum sit. Itaque grauissimis causis inpedimur, quominus a Palaemonis fragmentis exorsi inquiramus, quomodo haec pars grammaticae Latinae aucta et exculta sit. Aliam uiam ingrediamur necesse est. Exordium capiendum est a libris quos grammatici saeculi quarti conpilauerunt. Fontes quos illi in

conscribendis operibus adhibuerunt inuestigandi nobis sunt illa in primis quam in praefatione statui ratione nixis, ut conplura capita quae eadem apud duos uel plures grammaticos inueniamus ex uno eodemque libro eos hausisse suspicemur. Non uno loco uerba grammaticorum illorum quibus artigraphi conpilatores usi sunt ualde concinunt. Quaerendum igitur est utrum illi alius alium an eundem fontem exscripserint. Sunt qui inter se consentiant neque eos ex alio alium pendere ueri est simile, uelut Anonymus noster, Cominianus, Romanus. Eis igitur in quibus hi congruunt inuestigatis auctorem cuius librum illi adierunt eruere possumus. Hac ratione usi a postremis incipientes per gradus ad fontem ex quo omnes fluxerunt adscendendum erit. Accedit alterum quo haec uia conmendetur, quod in eis qui proxime absunt ab auctoribus nobis seruatis optime statuere possumus quae ratio intercedat inter singulos grammaticos et fontes eorum, quae inter exemplaria eiusdem operis quibus singuli usi sunt, quae inter haec et librum qualem auctor ipse conscripsit. Similia atque in hos etiam in antiquiorum libros cadere a priore sumendum est. In hac igitur uia, quam breuiter descripsi, gradum facere huic quaestioni propositum fuit.

VITA.

Natus sum Felix Fritz Otto Boelte pridie Non. Aug. a. h. s. LXIII in oppido Mecklenburgensi cui nomen est Grevesmuehlen. Parentes carissimos Augustum et Mariam e gente Pelzer adhuc superstites gratissima memoria colo. Fidei addictus sum euangelicae. Postquam domestica institutione pater, uir iuris consultus, puerulum me instruxit, a. h. s. LXXVI in tertiam classem gymnasii Fridericiani receptus sum, quod tunc rectore uiro humanissimo Henseo Suerini florebat. Huius ingenio incitatus, cum a. h. s. LXXXI maturitatis testimonium adeptus essem, ut philologiae operam nauarem constitui. Primum Lipsiam migraui, inde post biennium ad hanc almam Musarum sedem me contuli, cuius ad hunc diem ciuis fui. Docuerunt me uiri clarissimi de Bahder, Brugmann, Curtius, Lange, Lipsius, Overbeck, Ribbeck, Wuelcker, Wundt, Zarncke Lipsienses, Buecheler, Dove, Joers, Kekulé, Luebbert, Nissen, Schwartz, Vsener Bonnenses. Vt in seminarium philologorum, cuius per annum fui sodalis ordinarius, reciperer, Buecheleri Luebberti Vseneri egregia erga me factum est beneuolentia. In seminarium historicum me admiserunt Dove et Nissen. Exercitationibus suis ut interessem benigne concesserunt epigraphicis et philologis Buecheler, archaeologicis Kekulé. Omnibus praeceptoribus maximas habeo gratias, in primis uero Buechelero et Vsenero, quorum beneficiis in me conlatis in perpetuum sum deuinctus.

SENTENTIAE CONTROVERSAE.

I. Sen. ep. 67, 11 legendum est: 'quidni hoc optabile putem, non quod urit me ignis, sed quod non uincit?' 'optabile autem non' cod. p; 'optabile sit non' rell. cod.

II. Sen. ep. 68, 4 recte Fickert scripsit: 'alioquin non deerunt qui persequantur'. 'semper sequantur' cod. p.

III. Declinationem nominum quattuor ordinibus conprehendere primus Remmius Palaemon docuit.

IV. Quintilianus in capitibus de grammatica (inst. or. I, 4—8) conscribendis praeter Palaemonis artem aliorum quoque libris usus est.

V. Quintiliani locus inst. or. I, 9, 1 sic fere restituendus est: 'quarum illam alii methodicen, alii horisticen uocant'. cf. Mar. Vict. GL. VI p. 4, 3 et Diom. GL. I p. 426, 16.

VI. Fragmenta commentarii in Vergili carmina quae, ut ab Aspro oriunda, Chatelain nuper edidit (Revue de Philol. N. S. X p. 83 sqq.) ante saeculum p. C. III conscripta non sunt.

VII. Schol. Syriani in Hermog. περὶ ἰδεῶν VII p. 891 n. 64 W: Βάσις καλεῖται ἡ κατάμιξις τῶν κώλων, ἣ καὶ ἀνάπαυσις λέγεται. leg. κατάληξις.

VIII. Schol. in Hermog. ib. p. 903, 1: Ἴσως δὲ ζητήσειεν ἄν τις, τί δὴ τὰ κῶλα παρῆκεν ἐν τῇ κατὰ φύσιν ἀπαριθμήσει, εἶτα ἀποδεδωκὼς τάξιν αὐτοῖς. scribendum sic: παρῆκεν (scil. Hermog. III p. 198, 7 sq. W), ἐν τῇ κατὰ φύσιν ἀπαριθμήσει (Hermog. p. 195, 21 sq.) πέμπτην ἀ. τ. ἀ. cod. Par. 2977 πέμπειν ἀποδέδωκε, cod. Par. 2916 εἶτα ἀποδεδωκώς, cod. Mon. ἢ ἀποδεδωκώς.

IX. Schol. in Hermog. ib. p. 896 n. 16: πλεονάζειν (Hermog. p. 197, 17). πλεονασμὸν λέγει ἐνταῦθα οὐ τὸ πλῆθος τῶν ὀκτὼ μορίων τῆς ἰδέας, ἀλλὰ τὴν λύσιν κτλ. corrig. ἀλλὰ τὴν δύναμιν. cf. p. 897, 19: ἐπειδὴ τὸ πλεονάζειν καὶ ἐν πλήθει ἐστὶ καὶ ἐν δυνάμει.

X. Peplus ille qui Panathenaeis Mineruae dedicabatur e more rituque religionis non poterat a puero sacerdoti deae offerri.




191843
Boelte



